ſententia negans communis, & vera eſt, quam docet S. Thomas in *IV. diſt.* xxxv. *quæſt. unic. art.* 3. eique ſubſcribunt graviores Theologi. Si enim in arbitrio coniugum poſita divortia eſſent, innumera conſequerentur abſurda. Præterea contractus publicus nonniſi auctoritate publica reſcindi poteſt. Et quamvis in divortio non diſſolvatur matrimonii vinculum, reſcinditur tamen cohabitationis contractus.

XV. Quæſt. XIV. *Obſtringitur ne coniux divortium cum uxore adultera ſovere?* Reſp. Tenetur, niſi reſipiſcat; ut ex Scriptura colligitur. *Prov.* xvii. dicitur: *Qui tenet adulteram, ſtultus eſt, & impius.* Item cap. Si vir de adulteriis hæc præſcribuntur. *Si vir ſciens uxorem ſuam deliquiſſe, quæ non egerit pœnitentiam, ſed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & eius peccati particeps.* Rurſus cap. *Si quis uxorem* xxxii. quæſt. 1. maritus qui cum uxore adultera cohabitaverit, tribus annis pœnitentiæ ſubiicitur. Si tamen reſipiſcat, & pœnitentiam egerit, poterit eam recipere. Adulterium perpetui divortii cauſſam præbet: neque innocens abſolute uxorem adulteram recipere tenetur. Tamen debito honeſtatis & caritatis tenetur quandoque iuri ſuo cedere; ut ſi dimiſſa, peracta pœnitentia, in magno damnationis periculo verſaretur non revocata. En S. Auguſtini *Lib. II. de adult. coniug. cap.* vi. verba. *Quod autem tibi durum videtur, ut poſt adulterium reconcilietur coniugi coniux, ſi fides adſit, non erit durum ... Hæc crimina in veteri Dei lege nullis ſacrificiis mundabantur, quæ in novo teſtamento in ſanguine Chriſti mundantur: & ideo tunc omni modo prohibitum eſt ab alio contaminatam viro recipere uxorem; quamvis David Saulis filiam, quam pater eiuſdem mulieris ab eo ſeparatam dederat alteri, tamquam novi teſtamenti præfigurator ſine cunctatione receperit. Nunc autem poſtquam Chriſtus ait adulteræ:* Nec ego te condemnabo: vade, deinceps noli peccare: *quis non intelligat, debere ignoſcere maritum, quod videt ignoviſſe Dominum amborum, nec iam ſe debere adulteram dicere, cuius pœnitentis crimen divina credit miſeratione deletum?*

XVI. Convenit penes omnes, non eſſe eamdem in uxore obligationem viri dimittendi; Uxor enim in adulterium viri conſentire non præſumitur, cum impedire illud nequeat. Neque enim mulier corripere, & coercere virum, ſicut vir mulierem poteſt. Præterea non eadem incommoda imminent cohabitationi uxoris cum viro adultero, nempe incertitudo prolis, & falſi hæredis ſucceſſio. Et tandem perquam raro maritus adulter ex ſeceſſione uxoris corrigitur. Si tamen ex divortio mariti adulteri probabilis correctionis ſpes haberetur, tunc uxor innocens diſcedere ab eo deberet. Deſiderium prolis ſuſcipiendæ interdum efficere poteſt ut divortium mariti correctioni inſerviat.

XVII. Quæſt. XV. *Uter coniux gravius peccet?* Reſpond. Duo ſunt in adulterio crimina, impudicitiæ, & iniuſtitiæ. Si impudicitia ſpectetur, gravius eſt in viro quam in muliere adulterium, inquit *Lib. II. de adulterinis coniugiis cap.* viii. S. Auguſtinus. *Sed cum eis dicimus, non ſolum nihil volunt detrahere ſeveritati, ſed iraſcuntur inſuper veritati, & loquuntur, atque reſpondent: Sed nos viri ſumus. An vero ſexus noſtri dignitas hanc ſuſtinebit iniuriam, ut cum aliis feminis præter uxores noſtras, ſi quid admittimus, in luendis pœnis mulieribus comparemur? Quaſi non propterea magis debeant illicitas concupiſcentias viriliter frenare, quia viri ſunt; quaſi non propterea magis debeant mulieribus ſuis ad virtutis huius exemplum ſe præbere, quia viri ſunt; quaſi non propterea minus debeant a libidine ſuperari, quia viri ſunt; quaſi non propterea minus debeant laſcivienti carni ſervire, quia viri ſunt. Et tamen indignantur, ſi audiant adulteros viros pendere ſimiles adulteris feminis pœnas; cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere feminas. Chriſtianis equidem loquor, qui fideliter audiunt:* Caput mulieris vir: *ubi ſe agnoſcunt duces, illas autem comites eſſe debere. Ideo cavendum viro illac ire vivendo, qua timet ne uxor ſequatur imitando. Sed iſti quibus diſplicet ut inter virum & mulierem par pudicitiæ forma ſervetur .... legant quid Imperator Antoninus, non utique Chriſtianus, de hac re conſtituerit &c.*

XVIII. Ad iniuſtitiam quod attinet, uxor adultera longe ſceleſtius crimen perpetrat: quia & proli, cuius incertum patrem efficit, & marito, cui incertum heredem ſubſtituit, iniuriam, & detrimentum maximum irrogat. Tandem in communi exiſtimatione vir ex mulieris adulterio ſumma reſpergitur infamia, & cornutus appellatur; femina vero ex viri adulterio vix famæ læſionem patitur. Quamobrem in adulterium uxoris ſeverius animadvertunt civiles leges.

DIS-



# DISSERTATIO II.

## DE SPONSALIBUS.

### CAPUT I.

*Quid ſint ſponſalia, & quæ eorum conditiones.*

I. QUæſt. I. *Quomodo definiantur ſponſalia?* Reſp. Sponſalia interdum pro rato matrimonio uſurpantur. Quare duo ſponſalium genera a Scriptoribus accipiuntur: alia de præſenti, quibus ius in proprium corpus alteri alter permittit: alia de futuro, quibus nulla fit actualis donatio, ſed mera promiſſio. Hæc promiſſio arrhis & munuſculis confirmari ſolet: & hæc dona ſponſalia quoque appellari conſueſcunt. Sponſalia a verbo *ſpondeo* ſuam repetunt originem.

II. Verum his miſſis, uſus obtinuit ut ſponſalium nomine, de quibus in præſentia ſermo eſt, intelligatur promiſſio de futuro matrimonio. Sponſalia hæc ſic definiuntur. *Futuri matrimonii promiſſio mutua, & libera, externis ſignis expreſſa obligationem pariens.* Dicitur *mutua*, quia una pars non præſumitur ſe velle obſtringere, niſi altera pars acceptet, & repromittat. *Libera*, ut intelligatur excluſa coactio, & gravis metus. *Signis externis expreſſa.* Hæc particula ſignificat non ſufficere actus internos, ſed debere externis verbis, aut ſignis promiſſionem manifeſtari. *Obligationem pariens.* Duplicem pariunt obligationem ſponſalia, naturalem, & canonicam. Iure quippe naturali ſtare quiſque promiſſis legitimis & acceptatis tenetur ſub peccato mortali, ſi materia gravis ſit. Sponſalia autem ſunt in materia graviſſima: propterea peccat, & quidem graviter, qui ſine cauſſa ab iiſdem reſilit, ut docet S. Thomas in *IV. diſt.* xxvii. *art.* 1. Canonica obligatio impedimentum publicæ honeſtatis inducit, qua ſponſi inhabiles fiunt ad contrahendum cum alterutrius conſanguineis, & affinibus in primo gradu.

III. Diſputant recentiores, an contrahi ſponſalia ſub obligatione tantum veniali poſſint. Affirmant Sanchez. Sed hæc opinio falſa eſt. Utique promittere ſibi poſſunt ſub pœna amittendi arrhas, & etiam ſub nulla obligatione, vel ſub obligatione veniali tantum; ſed hæc non eſſent ſponſalia, ſed arbitrariæ promiſſiones: ſponſalia enim contracta iuxta ritum Eccleſiæ, contrahendi futuri matrimonii inducunt gravem obligationem, & impedimentum publicæ honeſtatis.

IV. Quæſt. II. *An promiſſio facta abſenti ante eius acceptationem obliget?* Reſp. Sententia negans vera eſt. Nulla quippe promiſſio gratuita abſolute obligat ante acceptationem. Quare licite revocari ante acceptationem poteſt quæcumque promiſſio futuri matrimonii.

V. Quæſt. III. *Sufficit ne ad valorem ſponſalium acceptatio promiſſionis ſine repromiſſione alterius partis?* Reſp. Alii affirmant, negant alii. Et ſententia negans mihi probabilior eſt. Acceptatio enim alterius fidei datæ non eſt obligatio propriæ. Ad valorem itaque ſponſalium requiritur mutua promiſſio. Quare qui promiſit, reſilire a promiſſione acceptata poſſet, quando facta non fuiſſet repromiſſio. Invalida quippe eſſent tunc ſponſalia. Si invalida, ergo nullam pariunt obligationem. Utique a promiſſione acceptata recedi nequit, quando altera pars repromittit. At ſi pars non repromittit, nulla ſponſalia ſunt: quia ad iſtorum valorem neceſſaria repromiſſio eſt.

VI. Salmanticenſes *tract.* ix. *cap.* 1. *punct.* 2. *n.* 15. duas ſuper hac difficultate referunt ſententias. Prima contendit, ſtare non poſſe acceptationem ſine repromiſſione ſaltem implicita. Altera negat in acceptatione includi repromiſſionem. Huic adhærent illi; ſed utramque probabilem vocant, & in praxi tutam. Verum ſi una eſt vera, altera falſa eſt. Ergo utraque in praxi tuta eſſe nequit. Sola ergo veriſimilior, quæ eſt ſecunda, amplectenda eſt. Falſum eſt quod ibidem *n.* 19. & 20. ſubdunt Salmanticenſes, nempe promittentem manere obligatum vi promiſſionis acceptatæ. Utique in alia quacumque materia promiſſio acceptata obligat. At cum natura ſponſalium eſſentialiter ſita ſit in promiſſione mutua, quoties deeſt mutuus conſenſus, ſponſalia nulla ſunt, ut diximus ſupra. Ergo nullum obligationis vinculum. Nec eſt quod reponas, manere obligationem vi promiſſionis ſimplicis factæ, & acceptatæ. Nam

hæc

hæc eſt mera verborum illuſio. Sermo ne nunc eſt de promiſſione generica & abſtracta? Diſputatur nunc de promiſſione ad ſponſalium valorem neceſſaria. Hæc autem practica promiſſio abſque repromiſſione conſiſtere nullo modo valet.

VII. Quæſt. IV. *Quæ intentio requiritur in contrahendis ſponſalibus?* Reſp. Ea intentio, & animi deliberatio requiritur quæ in quocumque contractu neceſſaria eſt. Requiritur ergo animus deliberatus celebrandi ſponſalia juxta Eccleſiæ ritum. Diſtinguunt Auctores intentionem promittendi, ſe obligandi, & adimplendi promiſſum. De hac promiſſionum diverſitate & *Tom. III.* de voto, & *Tom. VII.* de promiſſione, ſatis ſuperque dictum eſt. Convenit penes omnes, hos fictos promiſſores peccare, & quidem mortaliter; cum proximum decipiant in re graviſſima. Rurſus in foro exteriori hæ fictæ promiſſiones nihil ſuffragantur. Nihil ergo emolumenti præter malitiam fraudulenti promiſſores percipiunt.

VIII. Quæſt. V. *Qui ficta promiſſione futuri matrimonii virginem deceptam defloret, tenetur ne eam ducere, an ſolam dotem dare?* Reſp. Negant aliqui obligationem eam ducendi, ſatiſque eſſe volunt eidem dotem præbere. Quoniam, inquiunt, non tenetur ratione promiſſionis fictæ, ſed ſolum ratione damni illati, quod reparari dote valet.

IX. Altera ſententia docet, hunc promiſſorem abſolute obſtringi ad eam deſponſandam, niſi indicia probabilia adſint, quod virgo decipi voluerit. Ita S. Thomas in *IV. diſt.* xxviii. *qu.* 1. *art.* 2. *ad* 4. docet. *In tali caſu ſponſus, antequam aliam duxerit, tenetur eam ducere uxorem, ſi ſint æqualis conditionis, vel ſi ſponſa ſit melioris conditionis. Sed ſi aliam duxerit, jam factus eſt impotens ad ſolvendum illud ad quod tenebatur: & ideo ſufficit, ſi ei de nuptiis providerit: & ad hoc etiam non tenetur, ut quidam dicunt, ſi ſponſus ſit multo melioris conditionis, aut aliquod ſignum evidens fraudis fuerit: quia præſumi probabiliter poteſt, quod ſponſa non fuerit decepta, ſed decipi ſe finxerit.* Duo communiter Theologi advertunt. Unum, quod quando ſponſi non ſint diſparis conditionis, fraudulentus promiſſor, & deflorator teneatur defloratam virginem ducere, nec ſatis ſit eam dotare. Quoniam in contractu oneroſo id quod promittitur, præſtandum eſt; nec ſufficit tantumdem alterius generis reddere. In contractu ſponſalium virgo deflorata promiſit & dedit proprii corporis uſum. Ergo eumdem corporis uſum dare fictus promiſſor obſtringitur. Nec eſt quod reponatur, hoc ſolum habere locum, quando ſincera promiſſio eſt. Quoniam ex juſtitia uterque tenetur ſincere contrahere. Id præſtitit virgo deflorata. Ergo ad id tenetur qui ficte promiſit. Alterum. Si promiſſor ſit valde nobilis, plurimumque ſuperioris conditionis, tum non aſtringitur eam ducere, ſed ſat eſt eidem de nuptiis providere, dote ſtatui defloratæ congrua ſoluta. Quoniam præſumitur, & quidem jure, virginem voluiſſe decipi, quando cognovit valde notabilem conditionis diſparitatem. Si hanc diſparitatem ſeducta ignoravit, & fide bona credidit promiſſorem eſſe paris conditionis; tum abſolute loquendo fictus promiſſor teneretur eam ducere. Si tamen rixæ, inimicitiæ inter promiſſoris parentes, & ſcandala oritura prævidarentur; tum ſat eſſet eam dotare. Sibi enim imputare virgines debent damnum quod patiuntur. Nec eas latet, quanto periculo ſe ſe exponant, dum ante contractum matrimonium deflorari patiuntur. Hæc communia ſunt.

X. Si id quod ipſe ſentio, proferre mihi liceat, dico, in praxi vix contingere, ut virgines iſtæ vi & coacte deflorentur. Una *Lucretia* fuit, quæ veluti prodigium conjugalis caſtitatis, & fidelitatis celebratur. Poſteriores Lucretiæ raræ ſunt, quam inſolita ſunt prodigia. Virgines revera tales, ſolitudinis, pudoris, modeſtiæ præſidio munitæ, arces ſunt inexpugnabiles, quas nec procaciſſimi, nec petulci adoleſcentes pertentare vel obſidere audent. Sat eſt ut puellæ a virorum, juvenumque commercio abſtineant; & dum neceſſitate cogente prodire in publicum urgentur, modeſtia, verecundia, & pudica gravitate clauſis arcis januis, nempe ſenſibus, incedant. Vel unam ex millibus hujuſce generis defloratam invenies. Verum fictitiæ & chimaricæ Lucretiæ hodiernæ illæ ipſæ ſunt quæ arcis fores aperiunt, oculorum ictus jaculantur, amaſios venantur, & mirificis illiciis invitant, provocant, inſtigant. Cum vident miſeros adoleſcentes, æſtu libidinis deſpumantes, & impudico amore captos, tum omnia muliebria præſtigia adhibent, elegantiorem venuſtatem ſibi, fucis, & lenociniis ementitam oſtentant. Non induſtriæ, non verſutiæ, non fraudi parcunt, ut magis magiſque amatorculos ſuos excantent. Cum vero miſeri adoleſcentes, tot technis, & artificiis ſeducti, ingredi arcem pertentant; tum vafræ Lucretiæ fraudulentam inſtant repugnantiam, quæ non reſiſtit, ſed potentius invitat pro-



provocatque, ut in laqueum promiſſionis futuri matrimonii adoleſcentes incidant. Hæ ſunt quæ familias perturbant, quæ diſſidia, inimicitias, homicidia, & funeſtiſſima diſſidia pariunt.

XI. Quænam hic malo opportuna medicina? Lex ferenda eſſet, quæ ejuſmodi defloratas ad perpetuam pœnitentiam in cinere & cilicio adigeret. Si prima Lucretia indignam ſe Solis luce reputavit, ſibique iniquam mortem conſcivit: ejuſmodi fictæ Lucretiæ ineptæ ad matrimonium declarentur, nullæ illarum nuptiæ definiantur. Lege lata, omnes commentitiæ Lucretiæ evaneſcerent e mundo. Raptus & deflorationes revera violentæ, quæ rariſſimæ erunt, ſeveriſſime puniantur. Quemadmodum autem viri raptores graviſſime plectuntur; ita ſevere caſtigari iſtæ merentur mulieres captrices, quæ non vi corpori adhibita, ſed illecebrarum, & illicitorum præſtigiis homines infatuant, ac veluti veneficæ, & vaferrimæ ſyrenes ad ſe pertrahunt amaſios ſuos. Lex iſta conformis eſſet matrimonii chriſtiani ſanctitati. Quid? Apti ne in lege evangelica ad magnum ſacramentum celebrandum erunt qui ſtupris, fornicationibus, & fœdiſſimis ſpurcitiis canum & porcorum more corpora, & animas prius deturpant? Si olim in Eccleſiæ ſæculis unum fornicationis peccatum plurium annorum intervallo auſteriſſima pœnitentia caſtigabatur; quid huic diſciplinæ conformius quam legem ferre quæ ad plangendam amiſſam virginitatem ejuſmodi mulierculas adigat. Tanta eſt hodie feminarum impudentia, & procacitas, ut niſi aliqua ſevera lege coerceatur, omnia ad malum extrema deventura ſint.

XII. Quæſt. VI. *Quibus verbis contrahenda ſunt ſponſalia?* Reſp. Aliquo exteriori ſigno celebranda ſunt ſponſalia, verbis nempe, aut ſignis mutuum conſenſum prodentibus. Homo enim cor non intuetur, ſicut Deus, cui ſi promiſſio ſolo actu interno fiat, valida eſt. Inquiritur ergo, quæ verba ſufficiant ad ſponſalia contrahenda. Non eſſe aliquam verborum, aut ſignorum formulam præſcriptam neceſſario ſervandam, convenit penes omnes. Ea ergo verba ſufficiunt quæ internam voluntatem celebrandi revera ſponſalia exprimunt. Porro hæc verba, *Propoſitum mihi eſt*, *voluntatem habeo talem ducendi*, non ſufficiunt; quia ſolum ſignificant voluntatem aliquid faciendi, non obligationem contractam iniri. Quare neceſſaria ſunt verba quibus exprimatur contractus hic & nunc celebrandi obligatio, ut ſunt hæc: *Promitto, me obligo: in fide mea te ducam; proditor, infidus, infamis ſim, niſi tecum matrimonium celebravero.* E contrario hæc verba: *Non ducam aliam quam te, non aliam a te* &c. efficiunt ſolum ſenſum conditionatum; nempe, ſi aliquam duxero, tu eris illa. At non inde ſequitur, ut neceſſario ducere illam debeat; ſed abſtinere a matrimonio poteſt. Ex circumſtantiis tamen dijudicanda hæc ſunt. Similiter de taciturnitate dicendum eſt. Taciturnitas abſolute non eſt ſufficiens dati conſenſus fundamentum. Regula, *Qui tacet, conſentire videtur*, valet tantum in favorem proprium, ſecus ad onus ſubeundum. Tunc enim valet alia regula: *Qui tacet, nec conſentire, nec diſſentire videtur.* Traditio autem proprii corporis in alterius poteſtatem non eſt in favorem, ſed in gravamen. Quando tamen pudicitiam & verecundiam in ceteris omnibus ſervent, præſumi poteſt quod tacentes modeſte exprimant conſenſum ad futurum ſacramentum celebrandum.

XIII. Quæſt. VII. *Poſſunt ne celebrari ſponſalia ſolis ſignis, verbis omiſſis?* Reſp. Abſolute verba adhiberi debent. Ceterum juxta nationum diverſitatem ipſa ſigna verborum loco uſurpari queunt. Alicubi immiſſio annuli in digitum, aut appenſio torquium ad collum, aut traditio, & acceptatio arrharum, munerumque pro ſignis ſufficientibus ad ſponſalia celebranda habentur.

XIV. Quæſt. VIII. *Quando matrimonium contractum nullum eſt ob aliquem defectum ſubſtantialem, valet ne ſaltem ſub ratione ſponſalium?* Reſp. Puberes contrahunt matrimonium clandeſtinum, quod poſt Concilium Tridentinum nullum eſt. Diſputant Auctores, validum ne ſit ſaltem in ratione ſponſalium. Sunt qui affirmant; ſed communis & vera ſententia negat. Quandoquidem dum contractus quicumque omnino nullus eſt, nullam parere obligationem valet. Concilium Tridentinum omnino irritat matrimonium clandeſtinum. Ergo nullam parere obligationem poteſt. Nec eſt quod opponas, contractum valere, ſin ut fit, ſaltem ut fieri poteſt. Quoniam tunc id verum eſt, quando contractus laborat aliquo tantum defectu accidentali ex parte cauſæ efficientis; ſecus, quando defectus eſt ſubſtantialis ipſam formam eſſentialem contractus adhærens, & quando illi contractui lex non validit, contractum prohibendo, & irritando. Matrimonio autem clandeſtino deficit ſolemnitas, tamquam ejuſdem forma ſubſtantialis, a Tridentino præſcripta.

XV. Quæſt. IX. *Quæ libertas neceſſaria eſt* ad

*ad ſponſalia contrahenda?* Reſp. Dictum eſt in ipſa ſponſalium definitione, libertatem requiri immunem a coactione, & a metu cadente in virum conſtantem. Hinc inſani, amentes, ebrii, infantes uſu rationis carentes contrahere ſponſalia nequeunt. Diſputant Auctores, num ſponſalia ex metu cadente in virum conſtantem celebrata, ſint natura ſua invalida ante, an vero poſt juris ſententiam. Opinio probabilior eſt, eſſe ipſo facto irrita: quia licet metus non tollat voluntarium, tamen quando jus irritum contractum abſolute declarat, contractus ipſo facto nullus eſt. Atqui in cap. *Ex litteris*, de ſponſ. impub. ſponſalia ejuſmodi nulla & irrita declarantur, ut contraria publicæ utilitati. Ergo nulla ſunt, etiamſi juramento firmata eſſent; quia juramentum firmare rem prohibitam, tanquam adverſam publicæ utilitati, bonisque moribus, nequit.

XVI. Quæſt. X. *Si impedimento ligati contrahant ſponſalia conditionata, ſi Papa diſpenſaverit, valida ne ſunt?* Reſp. Sponſalia alia abſoluta, alia conditionata. De conditionum quæ apponi ſponſalibus poſſunt, varietate ſupra locuti ſumus, ubi explicatum eſt, quæ ſint conditiones honeſtæ, quæ turpes, & pro non adjectis habendæ, dum de conditionato matrimonii conſenſu ſermo fuit. Super propoſita quæſtione convenit penes omnes, nulla eſſe ſponſalia, ſi Papa ſuper tali impedimento diſpenſare non ſoleat: quia tum conditio ut impoſſibilis reputatur. Similiter, ſi diſpenſare ſoleat, & in hoc caſu non ſit juſta diſpenſandi ratio; invalida ſponſalia ſunt. Quando vero diſpenſare ſolet, & adeſt diſpenſandi cauſa; tum valida eſſe ſponſalia, defendunt Sanchez, Caſtropalaus, Comitolus, Pontius, Sporer, Gobat, & alii. Contra, invalida talia ſponſalia eſſe defendunt Navarrus, Averſa, De Luca, Diana. Et hanc ſecundam opinionem judico probabiliorem, eamque communem Soto in *IV. diſt.* XXIX. *quæſt.* II. *art.* I. §. Ex quo appellat, pluresque leges civiles allegat. Ratio potiſſima eſt. Ex facto jure improbato nulla oritur obligatio. Et vera eſſet, inquit P. Soto, reſponſio, quod lege ſolum improbatur matrimonium inter cognatos, ſecus ſponſalia. Quoniam cum cognati ſint excluſi a matrimonio, tanquam materia indebita; & ſponſalia ſint vinculum, & obligatio matrimonii futuri; qua ratione cognatio eſt indebita matrimonii materia, eadem & ſponſalium inepta eſt, quoadusque auferatur impedimentum. Urget ſuam argumentationem P. Soto contra Adrianum. Si ſponſalia inter cognatos contrahantur, omiſſa expreſſione conditionis diſpenſationis petendæ, nulla prorſus eſſent, ut adverſarii fatentur. Ergo nulla quoque ſunt conditione appoſita. Conſequentia probatur. Quamvis in contractu abſoluto conditio hæc non explicetur, intelligitur tamen reipſa. Porro eadem eſt implicitæ, & explicitæ conditionis vis. Ergo ſi conditio implicita non efficit contractum validum, neque explicita. Præterea conditio diſpenſationis in moralibus impoſſibilis reputatur, quæ nonniſi urgentiſſima cauſa impertiri debet, ut jura omnia clamant. Natura autem contractus ex iis quæ per ſe inſunt, non ex iis quæ per accidens contingere poſſunt, judicari debet. Ergo ejuſmodi ſponſalium contractus nullus eſt. Accedit quod affinitas ſuperveniens ſponſalia irrita efficit, quemadmodum ſtatuitur Cap. *Veniens* & cap. *Super eo*, de conſang. & affinit. ut ſi Sponſus cum ſponſæ ſorore rem habeat. Atqui facilius eſt futurum impedire, quam exiſtentem eſſe ceſſare. Ergo eadem affinitas, & multo magis conſanguinitas præcedens irrita ſponſalia efficit, quacumque conditione appoſita.

XVII. Opponunt adverſarii contra hanc ultimam rationem, aliquem ſupervenientem eventum vitiare ſponſalia præterita, qui ſi præcederet, non impediret futura; ut ſi poſt ſponſalia ſponſa fornicetur, aut lepram contraxerit. Sed optime reſpondet P. Soto, id evenire propterea quod ſi talia præceſſiſſent, ſponſus libere prævidiſſet maculas non repudiaſſet, quia non ſunt juris impedimenta. Cognationis vero impedimenta ſunt a jure præſcripta: idcirco, ſi irritant ſponſalia præterita, potiori jure impediunt futura.

XVIII. Hinc conſequitur, utrumque ſponſum, non modo ante, de quo nulla eſt prorſus ambiguitas, ſed etiam poſt obtentam diſpenſationem, poſſe a contractu reſilire. Et hoc verum eſt, non modo de alterius conſenſu, cum id neque in controverſiam vocetur, ſed etiam altero invito, & reclamante. Immo ſi juramentum quoque acceſſiſſet, contractus juratus nullus eſſet: quia juramentum non ligat, cum cadat ſuper rem vetitam. Idcirco diſpenſatione opus non eſt.

XIX. Opponunt iterum. Qui ergo ejuſmodi ſponſalia contrahunt, peccant. Peccant ſane, reſpondet Soto, ſi ſponſalia contrahere intendant, niſi ignorantia excuſet. Si vero non intendant ſponſalia celebrare, ſed ex quadam honeſtate ſibi fidem dare, ne expenſæ in caſſum fiant; tunc nullum crimen erit. Et reipſa ſic procedendum eſt, ut peccata vitentur contra legem quæ talia ſponſalia prohibet.



XX. Diſputant, utrum, ſi poſt obtentam diſpenſationem, ſponſi affectu conjugali carnaliter commiſceantur, illud ſit habendum verum matrimonium abſque novo conſenſu. Videtur non eſſe matrimonium: quia carnalis copula illud non perficit, niſi præceſſerint ſponſalia. In hoc autem caſu ſponſalia nulla fuerunt. Nihilominus laudatus Soto defendit, hoc eſſe verum matrimonium: quia licet contractus ſponſalium nullus fuerit, argumentum tamen eſt, illos habuiſſe animum matrimonium, licet vetitum, ineundi; atque in illud, licet vetitum, conſenſerant. Ergo ſublato per diſpenſationem impedimento, ſi affectu maritali coeunt, hic affectus habetur pro conſenſu. Tutius tamen eſt conſenſum renovare.

XXI. Quæſt. XI. *Quinam ſunt habiles ad contrahenda ſponſalia?* Reſp. Qui apti non ſunt ad contrahendum matrimonium, neque ad ſponſalia habiles reputantur. Ideo qui impedimento aut dirimente, aut impediente irretiti ſunt, ſponſalia inire non valent. Hinc invalida ſunt ſponſalia Catholici cum hæretica, aut voto caſtitatis ligati, & omnium aliorum, qui uſu rationis carent.

XXII. Quæſt. XII. *An ſurdus & mutus a nativitate poſſit valide contrahere ſponſalia?* Reſp. Affirmat communior opinio, quando ſurdus & mutus tali præditus intellectu ſit, quo ſignis vim ſponſalium edoceri, & intelligere valeat. Idque colligitur ex cap. *Cum apud* de ſponſal. Præterea ſurdos & mutos juxta omnes conſiteri, & abſolvi poteſt. Et tandem ita obtinet praxis, inquit Leander *qu.* XIX. Qui tamen ſimul cæcus eſſet, ſponſalia contrahere non poſſet, cum nullis ſignis inſtrui poſſet, ut illorum vim perciperet.

XXIII. Quæſt. XIII. *Quæ ætas requiritur ad contrahenda tum ſponſalia, tum matrimonium?* Reſp. Septennium completum eſt tempus ad contrahenda ſponſalia præfinitum: quia hac ætate communiter refulgere rationis lumen ſolet. Ad matrimonium vero quatuordecim in viris, & duodecim in fœminis anni requiruntur. Diverſitatis rationem in *Suppl. qu.* XLIII. *art.* 2. S. Thomas aſſignat. Matrimonium eſt indiſſolubile: idcirco maturiorem poſtulat ætatem. Sponſalia autem diſſolvi queunt: ideo ſufficit rationis uſus. Præterea matrimonium contrahentes debent eſſe ad generationem apti; quod nonniſi poſt pubertatis annos contingit.

XXIV. Non requiritur, ut ſemper ſeptennium ſit omnino completum; ſed uſus rationis poteſt interdum prævenire hanc ætatem; ut S. Thomas *loc. cit. ad* 7. docet. *In ſponſalibus etiam ſimiliter, ſi appropinquent contrahentes ad tempus ſeptennii, contractus ſponſalium habet robur, quia ... quod parum deeſt, quaſi nihil deeſſe videtur.* In foro tamen exteriori ante completum ſeptennium non præſumitur rationis uſus. Qui ante pubertatis annos completos contrahunt matrimonium, peccant mortaliter; ut colligitur ex c. 11. *de deſponſ. impub.* ubi hæc habentur. *Diſtrictius inhibemus ne aliqui, quorum uterque, vel alter ad ætatem legitimam, & temporibus determinatam non pervenerit, conjungantur; niſi forte aliqua urgentiſſima neceſſitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur.* Neque conſiſtit reſponſio Sanchez, & aliorum, qui dicunt, hoc intelligendum eſſe de copula carnali: quia textus docet, ſolum ex urgentiſſima ratione poſſe concedi talem conjunctionem; quæ conjunctio de carnali copula intelligi nequit. Matrimonium enim ante præfatam ætatem nullum eſſet. Ergo ex nulla, tametſi urgentiſſima cauſa, concedi conjunctio carnalis poteſt.

XXV. Quæſt. XIV. *Quam gravis ſit obligatio ſponſorum ad contrahendum matrimonium?* Reſp. Dictum ſupra eſt, ſub mortali ſponſos obſtringi fidem oppignoratam ſervare; ut communiter docent omnes. Rejecta quoque eſt opinio Sanchez, aſſerentis, ſponſos ſub veniali tantum poſſe ſeſe obligare, & eſſe vera ſponſalia, & inducere honeſtatis impedimentum. Nam ſponſalia vera, tale impedimentum inducentia, obligant ſub mortali: nec in arbitrio ſponſorum eſt hanc diminuere obligationem. Salmanticenſes *tract.* 6. *c.* 1. *n.* 82. inquiunt: „ Sponſalia faciunt licita, oſcula, & amplexus inter ſponſos. “ Ex quo redarguunt Sanchez, qui ex paritate voti, obligantis ſub levi ex voventis intentione, infert ſponſalia quoque leviter obligare poſſe, quando ita ſponſi conveniunt. *Nam dicimus* (inquiunt Salmanticenſes) *in ſponſalibus diſparitatem rationem inveniri: hæc enim & faciunt licita oſcula, & amplexus inter ſponſos, & inducunt impedimentum publicæ honeſtatis: qui effectus abſque gravi obligatione de contrahendo matrimonio haberi non poteſt.* Ne ſublata ratio? Amplexus, & oſcula inter ſponſos peccata eſſe, infra demonſtrabo.

XXVI. Quæſt. XV. *Quando tempus præfinitum ſponſalibus non eſt, celebrari ne ſponſalia illico debent?* Reſp. Quando tempus conſtitutum eſt intra menſem, aut annum

&c.

&c. ante elapſum intervallum præfinitum, neuter alterum cogere poteſt. Cum vero tempus indefinitum eſt, tum, ſtatim ac commode poterunt, contrahere tenentur. Si diſtulerint, erunt in mora culpabili, niſi temporis parvitas excuſet. Idque colligitur ex reg. *In omnibus obligationibus*, ff. de reg. iur. ubi hæc habentur: *In omnibus obligationibus in quibus dies non apponitur, præſenti die debetur*. Rurſus leg. *Eum qui*, §. *Quoties*, ff. de verb. oblig. dicitur: *Quod ſine termino præfixo debetur, ſtatim debetur*. Ratio eſt manifeſta. Quia per ſponſalia promittitur ius ad futurum matrimonium. Ergo dilatio illius eſt iniuſta privatio. Si tamen libere pars non inſtet, tunc congruo tempore differri poterit.

XXVII. Quæſt. XVI. *Quando unus ſponſorum iniuſte differt implere ſponſalia contracta, poteſt ne in foro contentioſo compelli?* R. Quando una pars iniuſte per notabile tempus differt, in foro interiori compelli ad implenda ſponſalia a Confeſſario debet, ut omnes fatentur; niſi aliqua gravis & iuſta cauſa obſit. Ad forum exterius quod attinet, in utramque diſputant Theologi partem. Quod abſolute poſſit pars iniuſte retrahens compelli a iudice ut ſponſalia legitime contracta impleat, mihi certum eſt. Sed difficultas in praxi eſt, quando hoc expediat. Si iudex prævideat ex tali matrimonio, per iudicis compulſionem contracto, futura gravia incommoda, vel partem impulſam ſeſe contracturam, aut diſſidia, rixas, inimicitias eventuras, abſtinere a compellenda parte refragante debet. Sed eam adhortationibus, conſiliiſque inflectere, ut ſuæ ſatisfaciat conſcientiæ, quando id fieri abſque graviſſimis indicatis incommodis poteſt. Si enim incommoda prudenter timeantur, ſuadere iudex debet ut pars altera, quæ vellet contrahere, deſiſtat, & renuntiet eiuſmodi ſponſalibus. Matrimonium enim eſt animorum coniunctio, cuius proprietates ſunt mutua concordia, benevolentia, pax, & tranquillitas. Quando hæc deſunt, ac imminent diſſidia, iurgia, & rixæ; tunc finis matrimonii non habetur, & matrimonia coacta numquam bene cedunt. Compellere tamen iudex poteſt, immo & debet, ut pars reſiliens damnum illatum parti volenti contrahere reſarciat, augendo dotem, vel alio modo congruo. Regula definita & certa deſignari nequit. A prudentia & Confeſſarii, & Iudicis totum hoc negotium pendet. Quando prævidentur diſſidia, & matrimonium fore moleſtum, numquam ſuadeatur. Conſulendum eſt ſemper quod minus malum eſt. Minus autem malum ſemper patietur pars innocens, ſi abſtineat a matrimonio, quod nonniſi iudicis impulſu altera pars rea contrahere vult. Diſputant, quinam in harum cauſſarum legitimus iudex, eccleſiaſticus, an laicus. Abſolute eccleſiaſticus eſt. Ceterum locorum conſuetudines iuſtæ ſervandæ ſunt.

XXVIII. Quæſt. XVII. *Apponi ne ſponſalibus obligatio ad pœnam licite poteſt?* Reſp. Duplicem diſtinguunt pœnam Theologi ſolute. Alteram appellant poſitivam, ut ſi quis promittat ſe ducturum Bertam, hac adiecta pœna, ut ſi reſiliat a promiſſione, debeat ſolvere centum aureos. Alteram appellant negativam: ut ſi quis puellæ centum ſe daturum ſpondeat, ſi ſecum nubere velit, ſecus non daturus; vel ſi teſtator legatum virgini relinquat, ſi tali nubat, alioquin legatum amittat.

XXIX. Priorem pœnam omnes illicitam, & invalidam aſſerunt, cum iure canonico prohibita ſit, ut ex capit. *Gemma* de ſponſalib. patet. Prohibitio iuſta eſt, utpote libertati matrimonii conſulens. Et qui ſcienter has leges, talem imponere pœnam ſtuderet, peccaret mortaliter. Idemque dicendum, ſive a ſponſis, ſive a ſponſorum parentibus, affinibus, conſanguineis, amicis &c. hæc pœnalis conditio adiiciatur. Nec refert quod pœna ſit levis, aut gravis: quia quælibet pœna lædit libertatem matrimonii; & ideo iure leges omnem pœnam prohibent: & quamquam in aliquo caſu non læderet, per accidens hoc contingeret; leges autem quæ natura ſua eveniunt, ſpectant.

XXX. Quæſt. XVIII. *An licita & valida ſit pœna impoſita parti iniuſte reſilienti a contractu ſponſalium?* Reſp. Leander, Coninck, Diana, Caſtropal. Layman, quibus ſubſcribunt Salmanticenſes *num. 97.* contendunt, validam, licitamque eſſe pœnam impoſitam determinate parti iniuſte reſilienti. Contra Sanchez, Becanus, Averſa, Dicaſtillus, Trullenchus, Bonacina, & alii ſemper illicitam, atque invalidam eſſe propugnant hanc pœnalem conditionem, ſive apponatur abſolute, ſive determinate parti etiam iniuſte reſilienti: & hanc opinionem iudico probabiliorem, immo abſolute veram. Quoniam leges & canonicæ, & civiles abſolute hanc pœnæ impoſitionem ſevere proſcribunt. Quid ergo privati homines ſuis arbitrariis commentis reſtringere præfatas leges audent? Leges iſtæ iuſtiſſimæ ſunt: quia matrimonii libertati, tranquillitati, & paci conſulunt. Nec alicuius momenti eſt quod Salmanticenſes cum

aliis



aliis obtrudunt, nempe hoc non eſſe contra ius naturæ: quia ex voluntate imponentis oritur; adeoque non lædit libertatem. Hæc enim ratio futilis eſt: nam licet in aliis contractibus id verum ſit, in contractu tamen matrimoniali falſum eſt. Cum enim vinculum matrimoniale, & ſit perpetuum, & animos præcipue nectat, cuius felicitas a concordia, & benevolentia coniugatorum pendet, prudentiſſime legiſlatores omnem pœnam vetarunt. Utique ex libertate imponentis, & acceptantis pœna iſta proficiſcitur. Quid inde? Homines mutationi ſubiecti ſunt. Plures oriri circumſtantiæ poſſunt quæ moleſtum, invidioſum, & grave reddant matrimonium: nec ſemper iuſtitia, aut iniuſtitia reſilientis oſtendi poteſt. Et quia pœna pecuniaria cuilibet gravis eſt; evenire poſſet ut matrimonium contraheretur ad declinandam pœnæ ſolutionem: & ex tali matrimonio plura ſequi abſurda poſſent. Quamobrem, ſpectato matrimonii fine, & conſiderata abſoluta legum prohibitione, omnis adiectio pœnæ poſitivæ excludenda omnino eſt a ſponſalium contractu. Si appoſita fuerit, nec reſiliens tenetur eam ſolvere, nec altera pars accipere iure poteſt, immo acceptam reſtituere tenetur: quidquid in oppoſitum doceant recentiores, citati pro adverſa ſententia.

## CAPUT II.

*De cauſſis diſſolvendi ſponſalia.*

I. QUæſt. I. *An mutuo conſenſu diſſolvi ſponſalia poſſint?* Reſp. Affirmant communiter Theologi omnes, quando utraque pars libere remittit alterius obligationem, & in diſſolutionem initi contractus conſentit. Nec obſtat cap. *Ex parte* de ſponſalibus: quia ibi non improbatur libera & mutua diſſolutio tamquam mala; ſed ſolum innuitur, conſtanter ſervandam eſſe fidem datam, & vitandam inconſtantiam. Si una pars ab altera dolo, fraude, metu, importunis precibus remiſſionem extorqueret, non maneret ab obligatione immunis. Immo peccaret plus vel minus iuxta inſidiarum diverſitatem pars quæ fraude alliceret alteram partem ad contractus diſſolutionem. Quando, tempore præfixo elapſo, una pars alteram requirit ut promiſſa ſponſalia impleat, ſi recuſet, graviter peccat: & pars quæ petit, & patitur repulſam, libera manet, & cui voluerit nubere poterit. Recuſare autem cenſetur, ut ſi aperte dicat, ſe nolle ſtare promiſſis, aut ſi nimis ultra præfinitum tempus differat abſque iuſta cauſſa. Diſſolvi autem poſſunt libero mutuo conſenſu utriuſque partis ſponſalia, etiamſi iuramento firmata eſſent; quia iuramentum iſtud ſequitur naturam contractus, & eſt in commodum utriuſque partis. Quare, ceſſante contractu, ceſſat iuramentum.

II. Diſputant Auctores, utrum ſi quis iuraſſet ſe ducturum feminam pauperem, nullam deſignando, teneatur aliquam ducere. Verum ſicut imprudens eſſet eiuſmodi iuramentum, ita otioſa eſt de eodem diſputatio. Talem iuratorem ad nullam ducendam aſtringi, communiter aiunt.

III. Quæſt. II. *Quomodo impuberum ſponſalia diſſolvi valeant?* Reſp. Impuberes contracta ſponſalia diſſolvere nequeunt mutuo conſenſu, antequam ad annos pubertatis pervenerint, ne propter ætatis teneræ inconſtantiam nimis frequenter contrahant, & reſcindant ſponſalia. Pubertate acquiſita, continuo reclamare ambo, vel unus illorum poteſt: & ſponſalia reſcinduntur, licet altera pars renuat. Si adepta pubertate ſtatim, vel, ut aiunt, poſt triduum non reclamaverint, nequeant poſtea ad unius partis reclamationem diſſolvi ſponſalia; ſed neceſſarius eſt utriuſque partis mutuus conſenſus. Unus ſi prius altero pubertatem naniſcatur, non tenetur alterius pubertatem expectare, ſed reſilire continuo valet. Si pubes cum impubere ſponſalia contrahat, nequit reſilire a contractu; impubes autem pubertatem nactus reſilire valet. Quando impuberes contractis ſponſalibus pubertatem aſſecuti ſunt, & non reclamant, non eſt neceſſarius novus conſenſus; ſed initus contractus perſeverat, quia non retractatur. Reclamatio autem ſufficit in foro interiori, etiamſi privata ſit. Si ſponſalia contracta fuerunt coram Epiſcopo, aut Parocho, tunc puberes facti reclamare in hoc foro exteriori debent ad declinandam vexationem partis. Si impuberes ante pubertatem reſiliant a ſponſalibus, & adepta pubertate perſiſtant in diſſenſu, intelliguntur ſoluti; quemadmodum perſiſtentes in promiſſione, adepta pubertate, firmantur, niſi poſt triduum reclament. Diſputant quoque, utrum ſponſalia impuberum iuramento confirmata poſſint unius partis diſſenſu reſcindi. Alii affirmant, negant alii. Mihi probabilior ſententia videtur affirmans ob rationem ſupra indicatam, quod iuramentum ſequitur naturam contractus. Sponſalia impuberum in puncto pubertatis, altera parte diſſentiente, ſolvuntur: ergo iuramentum appoſitum non tollit quin reſcindi queant.

IV. Quæſt. III. *An poſt ſponſalia iuramento firmata poſſit altera pars licite ingredi Religionem?* Reſp. Si poſt matrimonium ratum licitus eſt Religionis ingreſſus, potiori iure licitus poſt ſponſalia erit. Diſputatur ſolum in caſu quo ſponſalibus adiectum fuerit iuramentum. Plures dicunt, prius contrahendum eſſe matrimonium, ut iuramentum impleatur, & poſtea Religionem ingrediendam. Sed probabilior mihi eſt ſententia, licitum eſſe Religionis ingreſſum etiam poſt ſponſalia iurata: quia iuramentum, ut dixi, naturam contractus ſequitur. Contractus ſponſalium non impedit Religionis ingreſſum: ergo neque additum iuramentum.

V. Quæſt. IV. *Solvuntur ne ſponſalia per ſolum Religionis ingreſſum, an expectanda profeſſio eſt?* Reſp. Prima ſententia defendit, ſola profeſſione, non ingreſſu Religionis ſponſalia diſſolvi reſpectu utriuſque partis. Altera affirmat, ſolo ingreſſu, non expectata profeſſione, reſcindi contracta ſponſalia. Gonet, Layman, Palaus, Baſilius, Rebellus, Ledeſma, Leander, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *cap.* 11. *punct.* 2. *nu.* 21. defendunt, ſponſalia ingreſſu Religionis reſcindi reſpectu non ingredientis, ſed remanentis in ſeculo. Et hæc opinio videtur probabilior. Quoniam qui ingreditur religionem, reipſa cedit iuri ſuo: ergo remanens in ſeculo liber eſt ad contrahendum cum altero. Ingrediens vero Religionem non remanet inhabilis ad contrahendum matrimonium, donec emiſerit profeſſionem: ergo uſque ad profeſſionem obſtrictus manet contractui: ita ut ſi altera pars expectare velit, & is a Religione exeat, implere ſponſalia teneatur. Hæc opinio eo eſt probabilior, quo aditum fraudibus præcludit. Quiſque enim poſt contracta ſponſalia ingredi Religionem poſſet, ut deinde egreſſus nuberet cui vellet, ſi ſolo ingreſſu ſponſalia reſcinderentur reſpectu ingredientis.

VI. Quæſt. V. *Solvuntur ne ſponſalia per Ordinum ſuſceptionem?* Reſp. Affirmat communis ſententia, ſponſalia dirimi per Ordinum, non minorum, ſed ſacrorum ſuſceptionem. Ordinibus enim ſacris, ſeu maioribus annexum eſt ſolemne caſtitatis votum. Sanchez, & Caſtropalaus contendunt, eum peccare mortaliter qui, inconſulta parte altera, poſt inita ſponſalia Ordines ſacros ſuſcipit. Sed communior & probabilior ſententia negat: quia in ſponſalium contractu includitur conditio, *niſi ad meliorem ſtatum tranſiero*. Qui Ordines ſacros ſuſcipit, meliorem ſtatum ſuſcipit. Ergo liber manet ab obligatione inferiori contrahendi matrimonii. Nec eſt quod opponas, hanc conditionem non includi in ceteris promiſſionibus: ergo neque in promiſſione ſponſalium. Includitur enim ſolum conditio emittendæ profeſſionis monaſticæ, quia id declaratum a iure eſt. Reſpondetur, prælatam conditionem includi in iis promiſſionibus in quibus de ſtatu aſſumendo deliberatur. In ſponſalibus fit promiſſio aſſumendi ſtatum in quo creaturæ inſerviendum eſt. In hac autem ſtatus promiſſione ſemper intelligitur dicta conditio, *niſi elegero ſtatum meliorem inſerviendi Deo*. Neque rationi conſonum eſt, ut ſtatus inſerviendi creaturæ impediat ſtatum Deo ſe dicandi: quod aut monaſtica profeſſione, aut ſuſceptione Ordinis ſacri peragitur.

VII. Similiter ſponſalia *diſſolvuntur per* votum aut ingrediendi Religionem, aut ſuſcipiendi Ordines ſacros. Tale enim votum inhabilem hominem reddit ad implenda ſponſalia. Votum enim ſive Religionis, ſive Ordinis ſacri, ſive ſimplex caſtitatis ſervandæ ante ſponſalia emiſſum, illicita, & irrita ſponſalia reddit.

VIII. Quæſt. VI. *Licitum ne eſt, contractis ſponſalibus emittere ſimplex votum caſtitatis: eoque diſſolvuntur ſponſalia?* Reſp. Diſſolvi ſponſalia ex parte illius qui non vovet, convenit penes omnes: quia vovens cedit iuri ſuo, dum ineptum ſe conſtituit ad contrahendum. Quare qui non vovet, poteſt continuo alteri nubere. Diſputant autem Theologi, num ipſe vovens licite voveat, maneatque ab implendis ſponſalibus liber. Negantem ſententiam defendunt Leſſius, Laymanus, Caſtropalaus, Coninch, Sanchez *Lib. I. diſp.* xlvi. ubi refert 20. Auctores pro eadem. Quoniam, inquiunt, nequit Deo promitti quod debitum erat homini. Sed per contractum ſponſalium promiſſum proprium corpus homini erat. Offerri ergo Deo in præiudicium tertii nequit. Et hoc confirmatur ex cap. *Veniens, qui Clerici, vel voventes*: ubi pœnitentia imponitur feminæ quæ poſt contracta ſponſalia voverat caſtitatem.

IX. Altera ſententia licitum, validumque einſmodi votum propugnat, etiamſi iuramento ſponſalia confirmata eſſent. Hanc defendunt graviores Theologi Caietanus verb. *Perturium promiſſ.* Suarez *Lib. II. de voto cap.* iv. *num.* 13. Vaſquez *opuſc. de reſtit. cap.* iii. §. 2. *dub.* 6. *num.* 17. Azorius *Lib. XI. cap.* xxi. *quæſt.* 1. Gonet *de matr. art.* 5. Pontius *Lib. XII. cap.* xii. *num.* 4. Ledeſma *de matr. qu.* xliii. *art.* 3. *dub.* 3. Rodriquez *Tom. II.*





*cap.* ccxlv. Bonacina *quæſt.* 1. *punct.* 5. Henriquez *de matr. cap.* xiv. & alii. Hæc ſententia mihi videtur probabilior ob communem doctrinam iam datam, quod nempe in promiſſionibus quæ ſtatum conſtituunt, ſemper in promiſſione facta homini includitur conditio, *niſi meliorem ſtatum elegero ſerviendi Deo*. Et quamquam cælibatus non conſtituat ſtatum religioſum; nemo tamen negare valet, cœlibatum eſſe ſtatum meliorem ſtatu matrimoniali. Eligitur itaque ſtatus melior per caſtitatis votum, quo quis ſuum corpus Deo offert & conſecrat. Si huic voto annexa ſit Eccleſiæ ſolemnitas, dubio procul dirimit ſponſalia. At quod præcipuum eſt in voto, illa oblatio eſt quæ Deo offertur. Præterea votum illud validum eſſe fatentur adverſarii: nam, eo emiſſo, ſi contraheret, reddere, non petere poſſet. Si validum; ergo pugnat cum matrimonii contractu: cœlibatus enim, & uſus coniugalis componi una nequeunt.

X. Contrariæ ſententiæ fundamenta non urgent. Votum illud non eſt in præiudicium tertii: quia omnes creaturæ Deo ſubiectæ ſunt, nihilque perdunt; cum ipſi promiſſioni inſit ſemper conditio reſcindendi contractus, quoties voluntas advenerit Deo immolandi corpus proprium. Auctoritas ex adducto cap. *Veniens* &c. nullo modo adverſæ ſententiæ favet: quia mulier illa in fraudem poſt dilationem matrimonii votum emiſerat, ut ſponſum eluderet, & nubere alteri poſſet. Idcirco Pontifex eam pœnitentia multavit. Ex quo colligitur, votum illud dirimere ſponſalia, quando abſque fraude, & ex ſincero animo Deo inſerviendi editum ſit. Ceterum ſi quis votum ederet, ut eluderet partem alteram, & poſt votum diſpenſationem obtineret, ut nubere alteri poſſet; tum peccatum grave perpetraret, & priora ſponſalia implere deberet, quæ per votum doloſum non dirimuntur. Alioquin via fraudibus, & dolis pateret. Quid, ſi quis ſincere votum ederet Deo offerendi proprium corpus, & poſtea voluntatem mutaret? Tum ex honeſtate debet illi cui fidem ſerat, nubere, tum ut murmura & ſcandala vitentur, tum ob periculum ne votum in fraudem editum ſit. Ceterum pro praxi, quando hoc occurrit, pars quæ relinquitur, cum ſtatim, emiſſo ab altero voto, libera evadat, alteri nubat, aut cælibatum ferret. Quia aut votum fuit in fraudem, & tum non debet cum eo coniungi quem averſum a ſe cognoſcit; aut votum fuit ſincerum, & tum non debet in coniugem ducere inconſtantem, qui neque ipſi Deo promiſſam caſtitatem ſervat. In praxi ergo pars quæ libera manet, continuo cogitet de ſtatu eligendo, & voventem prorſus dimittat.

XI. Quæſt. VII. *An ſponſalia dirimantur per ſubſequens matrimonium, vel poſteriora ſponſalia?* Reſp. Matrimonium ſubſequens ſi validum ſit, ſponſalia præcedentia dirimere, certum omnino eſt. Si invalidum, pars innocens relicta libera manet, & continuo alteri nubere poteſt: quia qui contrahit, cedit iuri ſuo: ligatus tamen ipſe manet, & tenetur ex parte ſua ſponſalia implere, ſi pars innocens velit. Peccaret tamen mortaliter qui poſt celebrata ſponſalia matrimonium ſive validum, ſive invalidum contraheret: & ſi damnum inde innocenti obtingeret, reſarcire deberet.

XII. Diſputant Auctores utrum matrimonium ſubſequens validum ita dirimat priora ſponſalia, ut, mortuo coniuge, liber promiſſor ſit ab implendis contractis prioribus ſponſalibus. Duæ ſunt opiniones, quarum quælibet ſuos patronos habet. Baſilius, Leander, Vega, Sylvius, Gonet, Palaus, Averſa, Salmanticenſes *n.* 39. docent ſponſalia herere ſuſpenſa, &, ſoluto per mortem coniugis matrimonio, teneri promiſſorem implere priora contracta ſponſalia. Quoniam, inquiunt, præfata ſponſalia neque iure poſitivo, neque iure naturæ diſſolvuntur. Non iure poſitivo, quia nullibi extat lex quæ declaret prædicta ſponſalia reſcindi: non iure naturæ, quia impedimentum ſubſequens ſuſpendit, non extinguit priorem obligationem.

XIII. Altera ſententia docet, matrimonium reipſa extinguere, nedum ſuſpendere, priora ſponſalia; ita ut, mortuo coniuge, non obſtringatur promiſſor implere contracta ſponſalia. „Controverſia hæc mihi ambigua eſt; propendeo tamen in hanc ſecundam: quia matrimonium contractum natura ſua pugnat cum præcedentibus ſponſalibus. Unum autem contrarium alterum deſtruit. Obligatio hæc ſuſpenſa mihi arbitraria apparet. Quod opponitur de voto Religionis, quod poſt contractum matrimonium ſuſpenſum hæret, & mortuo coniuge, tenetur vovens Religionem ingredi, non videtur concludere, quia votum & matrimonium ſunt diverſi ordinis. Sponſalia autem & matrimonium ſunt in eadem linea. Sponſalia via ſunt ad matrimonium. Matrimonio adveniente, natura ſua evaneſcunt ſponſalia. Verum, ut dixi, pro neutra opinione talia mihi occurrunt argumenta, ut decidere abſolute pro alterutra

valeam. Caſus alioqui in praxi vix occurrit. Quis eſt qui, dum videt alterum ſponſum matrimonium perficere cum altero poſt fidem ſibi datam, velit eumdem in coniugem accipere? Admiſſa vero hypotheſi, qui contraxit, honeſte ageret, ſi partem relictam acciperet; at quod vinculo priorum ſponſalium obſtrictus ſit, mihi ambiguum manet, & potius liberum quam ligatum crederem.

XIV. Sponſalia præcedentia nullo modo per poſteriora diſſolvuntur; ſed hæc invalida omnino ſunt, etiamſi iuramento firmata: quia iuramentum non eſt iniquitatis vinculum: ſemper tamen pars innocens libera manet, ut licite alteri nubere poſſit. Quid, ſi ſecundis ſponſalibus copula carnalis accederet? Si ſecunda femina ſciebat priora ſponſalia, hæc non diſſolvuntur, quia tunc decipi ſponte voluit. Si vero ignoraverit, & ſub ſpe matrimonii decepta fuerit, & cum priori ſponſa copula non fuerit ſecuta (nam ſi ſecuta fuiſſet, proculdubio ſponſalia priora conſiſterent) diſputant in utramque partem Auctores. Plures defendunt conſiſtere priora ſponſalia, quia poſterior promiſſio nulla eſt, ſuppoſita priore: & damnum copula carnali illatum reſarciri aliunde valet. Alii contra defendunt irritari priora ſponſalia, & contrahendum cum poſteriore deflorata. Siquidem per poſteriora ſponſalia, accedente copula carnali cum ſpe futuri matrimonii, fit realis, & anticipata proprii corporis traditio. Nam iure antiquo promiſſio matrimonii ineundi cum copula, animo maritali peracta, ſat erat ad matrimonium: ergo iure novo ſat eſt ad dirimenda ſponſalia. Quid quod in aliiſquoque contractibus traditio mercis irritat priorem promiſſionem? Similiter qui poſt votum ingrediendæ Religionis virginem cum ſpe futuri matrimonii violaret: omiſſo Religionis ingreſſu, tenetur cum virgine deflorata contrahere. Tandem puella quæ deflorationem decepta paſſa eſt ſub futuri matrimonii ſpe, ius maius acquirit quam prior ſponſa ex nuda promiſſione: ius autem fortius extinguit debilius in eodem genere. Hæc ſecunda opinio mihi veriſimilior apparet, ſi revera defloratio ex deceptione & violentia contigerit. Verum, ut ſupra dixi, perquam raro hoc evenit, & ſponſæ ipſæ ſponte deflorari ſæpe patiuntur, ut ducantur in matrimonium.

XV. Qui ſecunda ſponſalia celebrat, ſi priora iure ſcinduntur, non tenetur poſteriora implere. Valida enim, ut ſupponitur, priora erant: ergo nulla poſteriora. Nulla ergo obligatio ex eiuſmodi ſecundis ſponſalibus orta fuit. Quod ab initio fuit nullum, tractu temporis non convaleſcit, ut ex *iur. reg. in VI.* habetur.

XVI. Quæſt. VIII. *An ſponſalia dirimantur aut per temporis dilationem, aut per unius ſponſi abſentiam, vel domicilii mutationem?* Reſp. Dictum ſupra eſt, ſponſalia contrahi poſſe vel tempore præfinito, vel indeterminato. Quando tempus eſt indeterminatum, nullo modo diſſolvi poſſunt per temporis dilationem; niſi valde nimia foret, & altera pars inſtaret. Diſputant, ut iam indicavi, an biennium, an triennium, an unus annus reputari debeat ſufficiens intervallum ad ſponſalia diſſolvenda. Sed regula certa huius diſſolutionis ſtatui nequit. Ex prudentum iudicio, & circumſtantiarum varietate negotium hoc pendet. Si tempus determinatum præfixum fuit ad ſollicitandam obligationem, illo tranſacto, non diſſolvi ſponſalia communiter aſſerunt. Si vero tempus apponatur ad finiendam obligationem, illo tranſacto, diſſolvi docent ex parte eius per quem non ſtat dilatio. Qui enim eſt in mora culpabili, ligatus manet; neque ex ſua iniquitate commodum reportare debet. Diſputant vero in utramque partem, utrum diſſolvantur ſponſalia, quando tranſacto tempore præfixo ad finiendam obligationem, non contrahitur matrimonium abſque culpa, quia nempe unus ſponſorum iuſte impeditus nequit. Alii negant, tunc diſſolvi ſponſalia: quia dilatio inculpabilis non ſufficit ad ſponſalium diſſolutionem. At probabilior opinio affirmat: quia quando tempus aſſignatur ad determinandam, finiendamque obligationem, apponitur tamquam conditio intrinſeca ipſi contractui, qua deficiente, contractus evaneſcit. Nec refert quod conditio hæc ſit nec ne culpabilis: alioquin fruſtra apponeretur hæc conditio, ſi ea deficiente, contractus non diſſolveretur. Ideo enim ponitur, ne ſponſa, vel ſponſus tali vinculo ligati diutius perſiſtant abſque nuptiis. Quod ex cap. *Sicut* de ſponſ. opponi ſolet, tempus non currere, legitimo impedimento occurrente, intelligitur, illum qui ius acquiſivit, non amittere ſine culpa. At locum id non habet, quando libere contrahentes nolunt ultra præfinitum tempus ſe obligare.

XVII. Diſſolvi ſponſalia per diceſſum ſponſi in regionem longinquam, etiam animo redeundi, communis opinio eſt; & colligitur ex cap. *De illis* v. de ſponſal. ubi hæc habentur. *Qui præſtito iuramento promittunt ſe aliquas mulieres ducturos, & poſtea dimittunt*





*terram, ſe ad alias partes transferentes, liberum erit mulieribus ad alia ſe vota transferre.* Sermo hic eſt de ſponſalibus etiam iuramento firmatis. Nec obeſt quod civiles leges obligent ſponſam expectare biennium reditum ſponſi abſentis in eadem provincia, & triennium, ſi abiit in provinciam alienam: quoniam huiuſmodi leges iure canonico correctæ ſunt. Forum enim conſcientiæ ſpectandum eſſe in hac materia certum eſt. Si tamen ſponſus, conſentiente ſponſa, diſcedat, expectandus eſt uſque ad tempus præfixum. Similiter ſi conſentiente ſponſa, domicilium mutet, conſiſtunt ſponſalia, ſecus ſi, ea inſcia, mutatio fiat. Hæc omnia quæ dicta ſunt, ex circumſtantiarum varietate exceptionem pati valent. Quapropter arbitrium prudentis Parochi conſulendum ſemper eſt, antequam ſponſalia diſſolvantur.

XVIII. Quæſt. IX. *Quænam ſunt cauſſæ ſupervenientes, quæ ſufficiant ad ſponſalia dirimenda?* Reſp. Regula generalis quam communiter Auctores aſſignant, hæc eſt. Quoties nova gravis cauſſa, mutatio, circumſtantia emergit, quæ prævia, & cognita ante contracta ſponſalia impedimento fuiſſet ne contractus fieret, ſufficit ad ſponſalia dirimenda reſpectu innocentis, qui in cauſſa non eſt. Hæc enim conditio, ſi res ſtent ut nunc ſunt, niſi contingat notabilis mutatio, inſita ſemper eſt ſponſalium contractui. Neque hinc ſequitur, omnia ſponſalia eſſe conditionata: nam ea ſolum conditionata dicuntur quibus ex mera voluntate contrahentium libere conditio omnino extrinſeca apponitur: conditio vero tacita, quæ intrinſecus ineſt contractui, non impedit quin contractus abſolutus ſit, & inducat publicæ honeſtatis impedimentum. Ea vero mutatio noviter emergens, ſufficiens ad dirimenda ſponſalia reputanda eſt quæ cognita prudentes quoslibet abſterreret a ſponſalibus contrahendis. Exempla peculiaria ſubiicio.

XIX. Varias S. Thomas in *Suppl. quæſt.* xliii. *art.* 3. *ad* 3. cauſſas aſſignat. *Si ante contractum matrimonium aliquam gravem infirmitatem incurrat alter eorum inter quos ſunt contracta ſponſalia, quæ ipſum debilitet nimis (ut epilepſia vel paralyſis) aut eum deformet (ut abſciſſio naſi, vel orbitas oculorum, aut aliquid huiuſmodi) aut quæ ſit contra bonum prolis (utpote lepra, quæ ſolet prolem inficere) poſſunt ſponſalia dirimi, ne ſibi invicem diſpliceant, & matrimonium ſic contractum malum exitum ſortiatur: nec pro pœna punitur aliquis, ſed ex pœna damnum reportat: quod non eſt inconveniens.*

XX. Defectus notabilis pulchritudinis, qua prædita ſponſa erat tempore contractus, & poſt deformis facta, ſufficiens eſt ad diſſolvenda ſponſalia, quia cum puella notabiliter deformi prudens ſponſus non contraxiſſet. Hæreſis crimen, flagitium infamiam pariens, graves inimicitiæ, rixæ inter ſponſos, & cetera quæ ſufficiunt ad ſeparationem quoad torum, multo magis ſufficiunt ad ſponſalia diſſolvenda. Similiter quodlibet impedimentum ſive dirimens, ſive impediens, quod matrimonio contrahendo adverſatur, ſat eſt ad ſponſalia reſcindenda, ut Soto in *IV. diſt.* xxvii. *qu.* 1. *art.* 3. *caſ.* 8. docet cum aliis: quamquam alii diſſentiant quoad impedimentum impediens. Soto tamen ego adhæreo.

XXI. Quæſt. X. *Paupertas ſuperveniens eſt ne cauſſa ſufficiens ſponſalia dirimendi?* Reſp. Poſt contracta ſponſalia alter ſponſus, vel ſponſa, quæ tempore ſponſalium divitiis affluebat, pauper evadit. Hæc paupertas ſuperveniens eſt mutatio gravis, quæ præcognita obſtitiſſet ne ſponſalia contraherentur: ergo ſufficiens eſt ad diſſolvenda contracta. Præterea æquum non eſt ut unus ſponſorum onera matrimonii, & prolis educandæ expenſas ſuſtineat. Si tamen tota dos ſponſæ conſiſteret, licet alia bona in dotem non aſſignata periiſſent, hæc mutatio non videtur cauſſa ſufficiens ad contractum reſcindendum.

XXII. Quod ſi uterque ſponſus pauper factus eſſet, tum ſponſalia diſſolverentur potiori iure: quia difficilius tunc onera matrimonii poſſent ſuſtineri. Si enim ſuperveniens paupertas unius ſat eſt ad reſcindendum contractum, multo maius ſufficiet utriuſque inopia. Ita docent Pontius, Rebellus, Leander, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *num.* 76. Hæc ſententia abſolute mihi non probatur. Et ratio allata minus ſolida videtur. Inopia unius, altero divite perſiſtente, inducit notabilem diſparitatem. At quando ambo fiunt pauperes, mutua eſt compenſatio, & æqua utriuſque conditio. An valida non ſunt ſponſalia inter pauperes? Veruntamen puto in praxi talia ſponſalia diſſolvi facile poſſe, immo & aliquando debere. Nam ſponſus ex divite pauper factus, a matrimonio forte abſtinere vult: quia nova paupertas nimis moleſta eſt ſtatui ſuo. Deinde homo dives pauper factus forſitan ſuis laboribus, & induſtria ea comparare non poterit quæ ſatis ſint ad filios educandos, & onera matrimonii ſuſtinenda: quo in caſu iure iſte a ſponſalibus recedere poſſet; & altera pars con-

ſentire deberet. Peccant enim qui matrimonium contrahunt, niſi probabiliter prævideant ſe poſſe acquirere ea quæ ad onera matrimonii ſubeunda neceſſaria ſunt. Quoniam naturæ iure alendis filiis parentes obſtricti ſunt. Ergo quo tempore contractum ineunt matrimonii, apti ſint neceſſum eſt ad implendum hoc debitum alendi filios. Quare ſententia indicata ſuis in circumſtantiis vera eſt. Si autem paupertas tanta non ſit, ut notabiliter ſtatum mutet, nec ineptos ſponſos reddat ad onera matrimonii præſtanda: tunc conſiſtunt ſponſalia. Sed dum hæ occurrunt circumſtantiæ, tum conſilium capiendum eſt: vix enim regula generalis certa præſcribi valet.

XXIII. Quæſt. XI. *Si unus ſponſorum notabiliter ditior fiat, altero perſiſtente in ſtatu quo contracta ſponſalia ſunt, diſſolvitur ne contractus?* Reſp. Adfirmat Leander *diſp.* 11. *q.* xlvii. Sed opinio negans, quam defendunt Sanchez, Caſtropalaus, Averſa, Coninch, & alii, probabilior eſt. Nulla enim tunc deceptio eſt in eo qui factus ditior eſt. Conditio enim ſponſæ eadem manet. Nulla ergo mutatio in altera parte eſt, ratione cuius reſilire poſſit, & divitiarum copia ſuperveniens conducit, non obeſt matrimonio ineundo.

XXIV. Quæſt. XII. *Fornicatio patrata poſt ſponſalia, illa ne diſſolvit?* Reſp. Adfirmat communis ſententia tam reſpectu ſponſæ, quam ſponſi: quia uterque fidem ſponſalium lædit. Et licet turpius flagitium ſponſa committat; hoc tamen non tollit quin fornicatio ſponſi ſatis ſit ad reſcindendum contractum. Tactus, oſcula, amplexus ſponſæ ſufficiunt ut ſponſus reſilire valeat: quia eiuſmodi tactus, oſcula &c. ſponſam indignam reddunt ut in matrimonium ducatur; magno quippe dedecore hæc ſponſæ flagitia ſponſum iuxta communem exiſtimationem afficiunt. Contra tactus, & oſcula ſponſi cum alia exercita non cedunt in ignominiam ſponſæ. Si tamen ſponſus frequenter talia patraret, ſponſa reſilire a contractu & ipſa poſſet: quia inde præſumere prudenter poſſet, ſe minus amari, aut ſponſum minus ſibi futurum fidelem atque moratum maritum.

XXV. Quæſt. XIII. *Sponſa poſt ſponſalia vi oppreſſa reiici ne iure poteſt?* Reſp. Adfirmat communis ſententia: quia magna mutatio accidit, & valde vilior ſponſa evadit, tametſi abſque culpa. Grave enim ſubiret ſponſus dedecus, ſi ſponſam ſic corruptam duceret; ſuoque infortunio id vertere ſponſa debet.

XXVI. Quæſt. XIV. *An ſi uterque poſt contracta ſponſalia fornicetur, hæc diſſolvantur?* Reſp. Negant Bonacina, Palaus, Perez, & alii: quia tunc datur mutua delicti compenſatio. Verum ſententia adfirmans probabilior eſt. Neque enim æqua compenſatio dari poteſt, cum longe turpior ſit fornicatio ſponſæ, maioremque infamiam ſponſo inferat quam patiatur.

XXVII. Quæſt. XV. *Quanam cauſſæ antecedentes diſſolvere ſponſalia valent?* Reſp. Plures ſunt cauſſæ antecedentes quæ diſſolvere ſponſalia poſſunt, ſi ignorentur a contrahentibus; ſecus, ſi notæ iiſdem ſint. Si homo ditiſſimus, & nobilis, ſciens puellæ paupertatem & ignobilitatem, eidem promittat, celebretque ſponſalia, non cæca, & impotenti aliqua paſſione ductus, ſed libero animo (quod perraro accidit;) implere ſponſalia tenetur; dummodo inde ſcandala, diſſidia, & rixæ non oriantur, ut frequentiſſime contingit. Tunc enim diſſolvenda ſponſalia ſunt; ſibique imputare puellæ debent, ſi quod hinc detrimentum ſubeant: quia ipſæ ſe eiuſmodi periculis ſponte tradunt, cum non ignorent, aut ignorare non debeant, numquam fere eiuſmodi diſparia coniugia felicem habere exitum. Si vero parti contrahenti ignota ſit paupertas, morbus, ignobilitas alterius partis, cum primum hæc innoteſcunt, ſponſalia contracta reſcinduntur; quia gravis mutatio apparet, quæ prius cognita retraxiſſet a contractu.

XXVIII. Quæſt. XVI. *An fornicatio præcedens ignota ſive ſponſi, ſive ſponſæ, dirimat ſponſalia, ſi poſtea ſciatur?* Reſp. Fornicatio præcedens ſponſi, ſi poſtea contractis ſponſalibus ſciatur a ſponſa, abſolute non dirimit ſponſalia: quia nullam inde ſponſa ignominiam ſubit. Dixi abſolute: nam ſi ſponſus huic vitio ita traditus eſſet, ut difficilis emendationis ſpes concipi poſſet, tunc ſponſa iuſtam reſiliendi cauſſam haberet. Fornicatio antecedens ſponſæ ignorata a ſponſo ſufficit ut ſponſus recedere, dum primum eam dignoſcit, a ſponſalibus valeat. Quoniam talis ſponſæ fornicatio gravi perfundit ignominia ſponſum.

XXIX. Opponunt cap. *Quemadmodum* Lib. II. tit. xxiv. ubi hæc habentur. *Ita ſi quis iuraverit ſe ducturum aliquam in uxorem, non poteſt ei fornicationem opponere præcedentem, ſed ſubſequentem, ut illam non ducat in coniugem: quia in tali iuramento talis debet conditio ſubintelligi, ſi videlicet illa contra regulam deſponſationis non venerit.* Verum auctoritas





ritas hæc nihil officit: quia hic ſermo eſt de fornicatione cognita a ſponſo, ſecus de occulta & incognita ſponſo. Similiter ſponſalia celebrata cum vidua, quam ſponſus virginem credebat, deprehenſa viduitate, non tenetur eam ducere: quoniam in communi hominum exiſtimatione vidua minoris valde fit quam virgo, reſpectu matrimonii contrahendi. Contingere tamen poteſt ſponſum ita diſpoſitum eſſe, ut eiuſmodi circumſtantias non curet: & tunc non darent cauſſam contractui; atque adeo ſponſalia conſiſterent.

XXX. Quæſt. XVII. *Cauſſa ignorata, quæ dedit cauſſam contractui, efficit ne ſponſalia irrita, an irritanda?* Reſp. Cauſſa accidentalis ignorata, quæ dedit contractui cauſam, non irritat ſponſalia; ſed ſolum ius præbet parti innocenti ut reſilire a contractu valeat. Ceterum ſponſalia ſunt abſoluta, & inducunt publicæ honeſtatis impedimentum. Qui poſt cauſſam cognitam reſiliendi, rata ſponſalia habet, ea reſcindere poſtea nequit; ut evidens eſt. Quare, ſi cauſſa cognita, copulam habeat cum ſponſa, ipſo facto ſponſalia confirmat; ſecus, ſi copulam haberet poſt reſciſſa ſponſalia.

XXXI. Sponſa ignobilis reputatur nobilis, pauper creditur dives, deformis pulchra, corrupta cenſetur virgo. Licite ne hos defectus occultare valet, ut contrahantur ſponſalia, ut poſtea cogat ſponſum ad matrimonium celebrandum? Adfirmant Caſtropalaus, Sanchez, quibus accedunt Salmanticenſes n. 57. quia, inquiunt, nemo tenetur defectus ſuos patefacere, & ſe infamare. Addunt tamen Salmanticenſes ibi *num.* 68. intelligenda hæc eſſe, niſi femina virum deciperet, ſe virginem fingendo, & divitem, cum corrupta, & pauper ſit. Poteſt tamen, inquiunt, *amphibologia uti, ut eos interrogata tegere aut modis aliis ſimulare: quia non tenetur ſe infamare, aut defectus ſuos proferre: tenetur tamen alium non decipere, & cum deceptione ad matrimonium inducere. Tum etiam niſi timeat quod, ſi poſtmodum a viro cognoſcatur, malus exitus futurus ſit matrimonii* &c. Poteſt interrogata, amphibologia utens, defectus tegere, & diſſimulare; & ſimul cavere ne virum decipiat? Ecqui fieri hæc duo poſſunt? Quomodo decipere poteſt, niſi occultando defectus, quos ſi noſceret ſponſus, abſtineret a ſponſalibus? Neque Caſtropalaus, & Sanchez concedunt, licitum eſſe ficto mendacio virum decipere. Verum quod amphibologiis, ſeu mendacio ficto, aut aperto vir decipiatur; ad illud quod attinet, perinde eſt. Se infamare, & publicare virgo ſuos defectus non tenetur. Verum habet. Sed neque decipere ſive amphibologiis, ſive apertis mendaciis virum licite poteſt. Quid ergo? Aut abſtineat a contractu ineundo, aut ſi contrahere velit, defectus patefaciat. Id in venditione equi, & vaccæ ſervatur: & ſervandum negant in contractu omnium graviſſimo, cuius vinculum perpetuum eſt? Femina honeſta & chriſtiana aut candide fateri ſuam ignobilitatem, paupertatem, corruptionem debet, aut a matrimonio abſtinere, ſuamque deperditam lugere virginitatem. Si defectus ſint probroſi, & noxii, ut morbus gallicus, paralyſis, lepra, & cetera eiuſmodi, quæ vel familiam infamant, aut generationem impediunt, omnes fatentur manifeſtanda hæc eſſe. Addo, non eſſe contrahendum, etiamſi alter vellet, cum ſimilibus defectibus: quia fatuus eſſet qui hæc cognoſcens matrimonium iniret.

XXXII. Quæſt. XVIII. *Qua auctoritate diſſolvi ſponſalia valent?* Reſp. Reſpondet S. Thomas in *Suppl. q.* xliii. *art.* 3. his verbis. *Cum quis ad Religionem confugit, & cum alter coniugium cum altero per verba de præſenti contrahit, ipſo iure ſponſalia dirimuntur, ſed in aliis caſibus dirimi debent ſecundum iudicium Eccleſiæ.* De iis caſibus hic loquitur S. Doctor in quos Eccleſia iuriſdictionem habet, nempe quando ſponſalia ſunt publica: tunc enim cauſſa quoque reſciſſionis publica ſit oportet. Si tamen nullum ex reſciſſione ſcandalum oriatur; tunc, quando cauſſa certa eſt, poſſunt auctoritate propria ſponſi reſilire. Si cauſſa irritans ſit occulta, ſive antecedens, ſive conſequens, propria auctoritate quiſque ſponſorum recedere a contractu poteſt; ut communiter docent omnes. Quid, ſi cauſſa occulta vera eſſet, ſed probationes deficerent, ut fornicatio occulta ſponſæ, quæ ſi deferatur ad iudicem, & probationes deeſſent, ſponſus compelleretur eam ducere. Tunc propria auctoritate reſilire a contractu ſponſum poſſe, docent Sanchez, Caſtropalaus, Averſa, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *num.* 102. & ſententia videtur vera. Qui dubius eſt de cauſſa reſiliendi, iudicem adire tenetur, ſi reſcindere contractum velit. Si tamen probabilem certitudinem habeat, tunc, depoſito dubio, poteſt pars innocens a contractu recedere, quia in contractu matrimoniali ſemper, quoad licet, favendum eſt libertati, abſque tamen gravamine partis.

XXXIII. Quæſt. XIX. *Quis ſit iudex legitimus diſſolvendi ſponſalia?* Reſp. Iam ſu-

pra indicavi, eſſe eccleſiaſticum, nempe ordinarium Epiſcopum, aut ab eo delegatum, qui iuriſdictionem in foro contentioſo habeat. Heinc Parochus, deſtitutus iuriſdictione in foro contentioſo, iudex harum cauſſarum eſſe nequit.

XXXIV. Quæſt. XX. *Qui iuſtam, occultamque reſiliendi cauſſam habet, quæ lædere alterius famam poteſt, liceite ne illam detegere coram iudice valet?* Reſp. Si ſponſus certus ſit de fornicatione ſponſæ derelinquendæ ob tale flagitium; tum debet ſecreto illam monere, ſuadere, & hortari ut in ſponſalium diſſolutionem conſentiant. Si hæc reſiſtat, coram iudice detegere cauſſam reſciſſionis ſponſus iure poteſt. Si ſponſa infametur, ſibi imputare debet, præſuppoſita ſemper perpetrati criminis certitudine.

XXXV. Quæſt. XXI. *Quando iudicis ſententia, aut propria auctoritate ſponſalia iurata dirimuntur, petenda ne eſt iuramenti diſpenſatio?* Reſp. Negant Sanchez, Pontius, Leander, Bonacina, Averſa, Dicaſtillo, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *n.* 106. quia iuramentum ſequitur contractus naturam. Sicut autem in contractu ſubintelligitur conditio, niſi iuſta cauſſa reſiliendi occurrat; ita includitur in iuramento. Ergo, deficiente contractu, ſua natura deficit iuramentum contractui adiectum.

XXXVI. Quæſt. XXII. *Quæ cauſſæ certitudo requiratur, ut ſponſalia dirimantur?* Reſp. In foro exteriori, ſi utraque pars cauſſam extare confiteatur, hæc confeſſio ſufficit. Si pars quæ matrimonium optat, conſentiat cauſſam exiſtere, ſuo teſtimonio matrimonium recuſat. Si vero pars ſola quæ diſſolutionem petit, teſtetur cauſſam, altera parte negante, non ſufficit. In foro conſcientiæ ſufficit unus teſtis fide dignus, & ab omni fallaciæ & fraudis ſuſpicione immunis. Si iſte teſtetur, ſponſam eſſe fornicatam, ignobilem, pauperem &c. ſufficit ut ſponſus a promiſſione recedat. Sufficit quoque, & multo magis fama publica. In tribunali exteriori, ſi cauſſa ſit impedimentum dirimens aut impediens, ſufficit teſtis unus fide dignus; ut habetur *cap.* XXII. *Super eo de teſtibus*, & cap. *Præterea* de ſponſ. quia, ut ibi dicitur, cum agatur de impediendo peccato, minor probatio requiritur. Immo addunt Salmanticenſes, Palaus, & alii, hoc teſtimonium ſufficere, etiamſi ſponſalia eſſent iurata; quando tamen teſtis eſt ocularis, & iuratus. Nec obeſt quod cit. cap. *Præterea*, & cap. *Super eo* requirantur duo teſtes ad matrimonium ſolvendum: quia plus requiritur ad matrimonium contractum dirimendum quam ad ſolvenda ſponſalia. Accedit quod ſermo ibi ſit de uno teſte qui nolit ſuum nomen patefacere, neque iurare: quo in caſu duo teſtes neceſſarii ſunt, quando ſponſalia ſunt iureiurando confirmata: ſecus, ſi ſint ſimplicia. Publica quoque fama de impedimento ſive impediente, ſive dirimente ſufficit in foro contentioſo ad iurata ſponſalia reſcindenda. Hæc tamen fama iuridice conſtare iudici debet. Si cauſſa ſit de fornicatione ſponſæ, de ignobilitate, de ſævitia, aliove crimine, duo teſtes iurati requiruntur, qui ex certa ſcientia deponant; cum agatur de damno, & præiudicio tertii. Quando tamen agitur de ſola fornicatione ſponſæ, cum ſit flagitium natura ſua occultum, & difficilis probationis, unus iuratus teſtis fide dignus, & cuiuſque ſuſpicionis expers, fortaſſe, ut mihi videtur, ſufficere poterit. Quando enim ſimilis teſtis deponit fornicationem ſponſæ, hæc inepta evadit, & valde exoſa ſponſo, qui infamiam ſubiret, ſi talem duceret ſponſam. Quæ doctrina inſervit etiam ut puellæ ſeverius cuſtodiant ſuam pudicitiam, ſuavemque caſtitatis odorem emittant, probaque vitæ, modeſtiæ, & pudoris exempla palam præbeant. Cauſſæ diſſolvendi ſponſalia his duobus verſibus continentur.

*Diſſenſus, crimen, fuga, tempus, ordo, ſecundo*
*Morbus, & affinis, vox publica, cumque recedunt.*

XXXVII. Quæſt. XXIII. *Neceſſario ne præire matrimonio ſponſalia debent?* Reſp. Quamquam matrimonium ſine ſponſalibus ratum firmumque ſit; tamen laudabilis, & ſervanda eſt diſciplina præmittendi ſponſalia, nulla quidem expreſſa Eccleſiæ lege præſcripta, ſed uſu invecta. Inſervit hæc, tum ut ſponſi præparent ſe ad tantum ſacramentum celebrandum; tum ut tempus occurrat implendi conditiones in contractu conſtitutas. Addit *Lib. VIII. confeſſ. cap.* III. S. Auguſtinus: *Inſtitutum eſt ut iam pactæ ſponſæ non tradantur ſtatim, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiraverit ſponſus dilatam.*

## CAPUT III.

*De matrimonio, & ſponſalibus invitis parentibus contractis.*

I. Celebris eſt controverſia iſthæc, quam plures & iſti, & Theologi magna ero-



eruditionis copia verſant. Franciſcus Muſcetula Archiepiſcopus Roſſanienſis integram hoc de argumento *diſſertationem theologico-legalem* evulgavit, eamque celeberrimus Alexius Symmachus Mazochius eruditis enarrationibus illuſtravit, adiecta *mantiſſa*, & *diatribis duabus*, aliiſque *additamentis*. Brevi calamo prout inſtitutum meum poſtulat, rem hanc ego expediam.

II. Lutherus ſcribit, matrimonium iniuſſu parentum celebratum, ſi nati filii ſint, validum eſſe, ante vero filiorum procreationem illud irritari, aut confirmari a parentibus poſſe. Quem errorem proſcripſit *ſeſſ.* XXIV. *cap.* I. *de reſor.* Tridentinum, damnans eos *qui falſo affirmant, matrimonia a filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe.* Calvinus *Lib. IV. Inſt. cap.* XIX. §. *ult.* iniquiſſimam hanc Catholicorum legem appellat, quod *coniugia inter adoleſcentulos parentum iniuſſu contracta, firma rataque maneant.* Eccleſia ea improbat ut illicita; ſed valida eſſe docet.

III. Convenit penes Theologos, nullo iure naturali, vel divino poſitivo matrimonia filiorum irrita eſſe parentibus inſciis, vel invitis contracta. Iure quippe naturæ ſolus contrahentium conſenſus requiritur, ſi natura contractus ſpectetur. In univerſa vero Scriptura nullum teſtimonium occurrit, quo irrita filiorum matrimonia, iniuſſu parentum contracta, declarentur: idque evidenter patet ex laudato Tridentini teſtimonio.

IV. Quæſt. I. *An mortaliter peccent filii, inſciis invitiſque parentibus, matrimonia contrahentes?* Reſp. Affirmant communiter tum Theologi, tum Canoniſtæ. Theologorum verba tranſcribit laudatus Muſcetula *diſſ.* I. Sufficiat illos indicare. Cardinalis Turrecremata, Ven. Cardinalis Bellarminus, Soto, Molina, Ledeſma, Sanchez, Sayrus, Megala, Sylvius, Abelly, Eſtius, Zipæus, Merbeſius, Philippi, Naldus, Fagundez, Gabriel a S. Vincentio, Maſtrius, Martinonius, Leander, Marchant, Cocq. Vidal. Platellius, Genettus, Natalis Alexander, Iuvenin, Cobaſſutius, Engel, Rebellus, Pontius, Poſtius, Bonacina, Coninch, Perez, Eſcobar, Fillitucius, Delbene, Barboſa, Gonzalez, Robertus, Guttierez, aliique communiter.

V. Ratio evidens profluit ſponte ſua ex obedentia, honore, reverentia, gratitudine filiorum erga parentes ſuos. Si enim honorare, revereri parentes, iiſque parere altringuntur; ſane obedientiam, & reverentiam exhibere parentibus potiſſimum debent in negotio omnium graviſſimo, unde totum pendet vitæ inſtitutum, familiarum pax, conſervatio civitatum, & regnorum optima inſtitutio. Ex ipſa Scriptura eruitur, parentum præſertim curam eſſe filiis de uxore providere. *Gen.* XXIV. Abraham Iſaac filio uxorem dedit, & Rebecca ex patris ſui conſilio in maritum illum accepit. Item *Exod.* XXIV. & *Deuter.* VII. parentibus inſinuatur, ut filiis ſuis uxorem provideant. *Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo.* Similiter Iſaac filio Iacob iuſſit ne duceret uxorem ex filiis Palæſtinorum, ut *Gen.* XXVIII. habetur. *Vocavit itaque Iſaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaam; ſed vade, & proficiſcere in Meſopotamiam Syriæ* &c.

VI. Heinc tamen inferre minime licet, parentes cogere filios ſuos poſſe ut hanc potius præ alia ducant. Peccarent quippe parentes, ſi metu cadente in virum conſtantem cogerent filios ad nubendum, vel nubendum huic vel illi. Poſſunt tamen parentes auctoritate patria imperare, adducere, inflectere filios, ut tali mulieri nubant, minis ſemper ſublatis. Filii itaque ſub gravi culpa conſulere parentes de matrimonio contrahendo obſtringuntur. Ceterum contingere poteſt ut filii ex legitima & iuſta cauſſa poſſint invitis parentibus nubere: quia evenire poteſt, ut parentes ſint irrationabiliter inviti, & iniuſte conſenſum denegent.

VII. Quæſt. II. *An iure eccleſiaſtico irrita ſint matrimonia, inſciis, aut invitis parentibus inita?* Reſp. Percelebris eſt propoſita controverſia inter Theologos. Plures contendunt ad ſæculum XII. uſque iure canonico irrita, nedum illicita, fuiſſe matrimonia invitis parentibus a filiis contracta: alii contra longe plures negant, unquam extitiſſe eccleſiaſticam legem, eiuſmodi matrimonia irritantem.

VIII. Cardinalis Pallavicinus *Lib. XXII. hiſt. Conc. Trid. cap.* IV. narrat, hoc de argumento acriter diſputatum fuiſſe, atque ad Gallorum poſtulationem formatum decretum fuiſſe *ſeſſ.* XXIV. *cap.* I. ut *Synodus irrita faceret ea matrimonia quæ contraherentur a filiisfamilias ante annum decimum octavum completum, & a filiabus ante decimum ſextum completum abſque genitorum conſenſu.* Verum poſt varias pro utraque parte ſententias formatum decretum eſt, prout nunc *cit. ſeſſ.* XXIV. *cap.* I. *de ref. matrim.* habetur.

IX.

IX. Super tali decreto varias inſtituunt Theologi diſputationes de matrimoniis filiorumfamilias invitis parentibus contractis, num ſcilicet ante Tridentinum invalida, & poſt valida declarata fuerint. Et communior ſententia eſt, nihil definitum eſſe de præteritis; ſed futura rata, & valida declarata. Matrimonia vero clandeſtina præterita valida fuiſſe, futura nulla declarat.

X. Multi probabiliter defendunt, antiquos Eccleſiæ canones irrita declaraſſe filiorumfamilias matrimonia defectu conſenſus parentum. Hoc evincunt *canone* xlii. qui habetur in epiſtola S. Baſilii ad Amphilochium, ubi dicitur: *Quæ ſine iis qui habent poteſtatem, fiunt matrimonia, ſunt fornicationes. Nec ergo vivente patre, nec domino ii qui conveniunt, ſunt ab accuſatione liberi, donec conjugio domini annuerint: tunc enim accipit firmitatem conjugium.* Adeo luculentum eſt teſtimonium iſtud, ut qui oppoſitam defendunt opinionem, non aliud excogitare reſponſum potuerint, niſi negare prælatam epiſtolam eſſe genuinum fetum S. Baſilii; quæ reſponſio communiter a viris rei criticæ peritis exploditur. Hanc quoque fuiſſe Eccleſiæ tam Græcæ, tam Latinæ diſciplinam, multis documentis evincunt. Nam ex Latinis Patribus Tertullianus *Lib. II. ad uxor. cap.* ix. inquit. *Nec in terris filii ſine conſenſu patrum rite & iure nubunt.* S. Ambroſius *Lib. 1. de Abraham cap. ult.* ait: *conſulitur puella non de ſponſalibus: illa enim exſpectat iudicium parentum.* Plurima alia teſtimonia & Evariſti, & S. Leonis, & Nicolai I. & Alexandri II. & plurium Conciliorum promunt huius ſententiæ patroni. Sed contrariæ ſententiæ defenſores reſpondent, hæc & ſimilia teſtimonia interpretanda eſſe de matrimoniis illicitis, ſecus invalidis.

XI. Diſputant denique, num iure civili, & Principum edictis nulla ſint eiuſmodi matrimonia. Contendunt plures, iure antiquo Romano nullas declaratas fuiſſe præfatas nuptias ob defectum conſenſus parentum. In Gallia irrita quantum ad effectus civiles, ſecus quantum ad rationem ſacramenti, matrimonia filiorumfamilias invitis parentibus celebrata, declararunt.

XII. Hæc obiter indicavi, cum ad inſtitutum meum non pertineant. Ad propoſitum enim quæſitum reſpondeo, non modo nullam extare nunc legem eccleſiaſticam irritantem dicta matrimonia, ſed e contrario Concilium Tridentinum ea rata & valida definire; ut ex adducto textu evidens eſt: idque Theologi, & Canoniſtæ omnes docent. Neque in re aperta diutius immorandum eſt. Confeſſariorum eſt, altius filiisfamilias inculcare, Dei indignationem imminere illis qui invitis parentibus matrimonia contrahunt. Quomodo fauſta hæc matrimonia futura erunt, quæ graviſſimo ſacrilegio celebrantur? Parentes ſæpe ſunt cauſſa cur matrimonia, ſeipſis invitis, filii ineant, ob peſſimam filiorum educationem. Sancte educent, inſtruantque parentes filios ſuos optimis exemplis, morumque integritate: quia ſi filii bene morati fuerint, nunquam tantum ſcelus patrabunt: immo nihil de tam gravi negotio deliberabunt. At, poſita turpiſſima hodierna corruptela promiſcuæ converſationis in viros, & mulieres, quid boni ſperari poteſt?

## CAPUT IV.

### *De matrimonio clandeſtino, eiuſque prohibitione, & irritatione.*

I. MAtrimonium clandeſtinum, ſeu ſecretum, & occultum, olim ex pluribus cauſſis tale vocabatur. 1. ex defectu teſtium. 2. ex defectu proclamationum. 3. propter defectum conſenſus parentum. 4. ob abſentiam Parochi. 5. propter defectum benedictionis, aliarumque ſolemnitatum.

II. Quæſt. I. *Quænam ſunt cauſſæ cur poſt Tridentinum matrimonium reputari clandeſtinum debeat?* Reſpond. Poſt Tridentinum ſolus defectus præſentiæ Parochi, & teſtium reddit matrimonium proprie clandeſtinum, ut ex *ſeſſ.* xxiv. *cap.* 1. aperte colligitur: ſic enim ibi ſtatuitur. *Qui aliter quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit: & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit, & annullat.*

III. Quæſt. II. *Matrimonium clandeſtinum ex defectu præſentiæ Parochi, & teſtium fuit ne validum ante Tridentinum?* Reſp. Verior ſententia eſt ante Tridentinum nunquam fuiſſe invalida matrimonia clandeſtina: quia, inquit in *Supplem. quæſt.* xlv. *artic.* 5. S. Thomas, *conſenſus, expreſſus per verba de præſenti inter perſonas legitimas ad contrahendum, matrimonium facit.*

IV. Quæſt. III. *Quæ ob cauſſas Tridentinum irrita declaravit clandeſtina matrimonia?* Reſpond. Graves ſane, & in dies occurrentes cauſſæ fuerunt iſtæ ob quas Concilium eiuſmo-





di matrimonia improbavit. Has cauſſas longe ante Tridentinum *loc. cit. ad* 3. aſſignavit S. Thomas. *Prohibentur autem clandeſtina matrimonia propter pericula quæ inde evenire ſolent: quia frequenter in talibus eſt aliqua fraus ex altera parte: frequenter etiam ad alia coniugia tranſeunt, dum pœnitent de illis quæ ſubito facta ſunt, & multa alia mala inde accidunt: & ſpeciem turpitudinis, præter hoc, habent.*

V. Has eaſdem cauſſas allegant Tridentini Patres *loc. cit.* inquientes: *Cum ſancta Synodus gravia peccata perpendat quæ ex clandeſtinis coniugiis ortum habent, præſertim vero eorum qui in ſtatu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cum ab Eccleſia, quæ de occultis non iudicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur; idcirco ſacri Lateranenſis Concilii ſub Innocentio III. celebrati veſtigiis inhærendo, præcipit ut in poſterum, antequam matrimonium contrahatur, ter &c.*

VI. Cum tribus bonis matrimonii, nempe fide, prole, & ſacramento pugnare clandeſtina matrimonia, Theologi animadvertunt. Fidei ſervandæ obſunt: quia qui clam & ſine teſtibus contrahunt, facile a præſtito conſenſu recedunt; & una pars impune alteram deſerit, cum nullum exhiberi teſtimonium poſſit. Proles quoque incertitudinis periculo ſubiecta eſt ob eamdem rationem. Tandem ſacramenti dignitas violatur, nexus, & vinculum. Dignitas læditur, quod contemptis Eccleſiæ legibus, ſacrilege matrimonium clandeſtinum celebratur. Vinculum, & nexus violatur, quod probari teſtibus nequeat. Facile enim uxor ſecreto ducta relinquitur, & cum altera contrahitur. Neque reus criminis reus poteſt ob teſtium defectum: Eccleſia enim de occultis iudicare nequit. Quid quod eiuſmodi matrimonia familiarum pacem, honorem, & famam perturbant, diſſidia, & ſcandala involvunt?

VII. Opponi ſolet, Eccleſiam non poſſe eſſentias ſacramentorum immutare. Eſſentia autem ſacramenti matrimonii ſita eſt in mutuo, liberoque contrahentium conſenſu, qui æque verus eſt, ſive ſecreto, ſive palam fiat. Reſpondent communiter Theologi, Eccleſiam, ſeu Tridentinum non immutaſſe materiam, ſed ſolum prohibuiſſe ne materia, ſeu conſenſus apponatur abſque conditionibus, in bonum publicum, & eiuſdem ſacramenti dignitatem præſcriptis. Perſonæ autem quæ has conditiones non obſervant, inhabiles ſunt ad contrahendum: idcirco contractus irritus eſt. Exempla plura aliorum contractuum ſuppetunt. Leges ipſæ civiles nullum declarant pupilli contractum abſque tutorum conſenſu: nullam Eccleſia decernit profeſſionem religioſam abſque præmiſſa probatione.

VIII. Quæſt. IV. *An matrimonium clandeſtinum habeat ſaltem vim ſponſalium?* Reſpond. Sententia negans communis eſt: quia perſonæ quæ ſic contrahunt, declarantur inhabiles, & contractus nullus eſt. Diſputant vero, num qui clandeſtine contrahunt, pœnas incurrant a canonibus ſacris conſtitutas. Siquidem etiam ante Tridentinum matrimonia clandeſtina erant illicita, tametſi valida: ideo pœnæ conſtitutæ in tranſgreſſores fuerunt. Nunc, cum nulla ſint talia matrimonia, non videtur reus novis pœnis ſubiiciendus. Varios hac de re modos dicendi P. Sanchez *diſput.* 11. refert *Lib. III.* quos expendere non vacat.

IX. Quæſt. V. *Utrum poſt Tridentinum ita neceſſaria ſit præſentia Parochi, & teſtium ut in nullo caſu ſine illa validum ſit matrimonium, ſaltem in conſcientia, ſi fide bona contrahatur?* Reſpond. Diſtinguendi ſunt fideles ab infidelibus. Illi, cum ſubiecti Eccleſiæ non ſint, nulla lege eccleſiaſtica obſtringuntur. Quare infideles, ſive habitent in locis ſubiectis Principibus catholicis, & Eccleſiæ quoad dominium temporale, ſive alibi, poſſunt valide contrahere abſque hac ſolemnitate a Concilio præſcripta. Similiter ubi Concilium Tridentinum receptum non eſt, valida ſunt matrimonia abſque præfata ſolemnitate; cum lex non acceptata non irritet contractum. Peccant tamen mortaliter fideles contrahentes abſque eiuſmodi legis obſervantia. Ubi vero Concilium acceptatum eſt, nullus reperiri caſus valet in quo matrimonium clandeſtinum ſine Parochi, & teſtium præſentia validum ſit.

X. Diſputant Theologi, num, inſtante mortis periculo, validum eſſet matrimonium illius qui nuberet concubinæ, ut ſuæ conſcientiæ, & mulieris famæ conſuleret, & Parochus adeſſe non poſſet, neque teſtes eſſent præſentes. Affirmant plures, validum tunc eſſe tale matrimonium clandeſtinum. Plures alii negant, reperiri aliquem caſum in quo ubi acceptatum Concilium eſt, matrimonium clandeſtinum validum ſit. Quoniam licet neceſſitas excuſet ab obſervantia legis præcipientis; nulla tamen neceſſitas efficere poteſt ut perſonæ inhabiles fiant habiles

ad contrahendum. Concilium autem Tridentinum inhabiles reddit perſonas ad contrahendum abſque Parocho, & teſtibus, nulluſque contractum declarat. Ergo nulla neceſſitas efficere poteſt ut contractus ille validus ſit.

XI. Quæſt. VI. *Eſſet ne validum matrimonium bona fide contractum publice coram multis teſtibus, Parocho abſente?* Reſpond. Quamquam matrimonium contraheretur coram centum teſtibus, ſi Parochus abſit, nullum eſt. Neque bona fides, aut ignorantia invincibilis efficere poteſt ut contractus irritus validus evadat; quamvis excuſet a culpa. Ut hæc intelligantur, habenda præ oculis ſunt verba Tridentini *cit. ſeſſ.* XXIV. *cap.* I. quæ eiuſmodi ſunt. *Qui aliter quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos ſancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit, prout eos præſenti decreto irritos facit & annullat.* Nulla igitur ignorantia, nulla bona fides in locis ubi Tridentinum eſt promulgatum, & acceptatum, efficere poteſt ut contractus abſque præfata ſolemnitate celebratus validus ſit.

XII. Quæſt. VII. *Quid de matrimoniis dicendum quæ in Hollandia, Zelandia, Friſia, aliiſque fœderatis Belgii provinciis contrahuntur coram magiſtratu, abſente Parocho?* Reſpon. Acerrime olim diſputatum eſt inter Theologos ſuper eiuſmodi matrimoniorum valore. Plures irrita hæc matrimonia pronuntiarunt, quod Tridentinum fuerit in dictis provinciis promulgatum an. 1765. opera Margharitæ Parmenſis, quæ tum temporis imperabat loco Philippi II. Huiuſce promulgationis documenta Scriptores plures afferunt, ut Pietre, Huygens, Zypæus, & alii plures. Inter huiuſce ſententiæ defenſores Eſtius, Ven. Cardinalis Bellarminus, inſuper Congregatio Cardinalium in litteris datis an. 1605. ad Saſboldum Vicarium apoſtolicum per Hollandiam præfata matrimonia, coram hæretico magiſtratu celebrata, nulla eſſe declararunt. Permulti Theologi alii valida eſſe huiuſmodi matrimonia, graviſſimis rationum momentis ducti, defenſitarunt.

XIII. Poſt diuturnam Theologorum de hac controverſia diſputationem Pontifex maximus BENEDICTUS XIV. ſapientia non minus quam dignitate ſupremus clariſſimus finem controverſiæ imponere conſtituit. Ut vero in cauſſa ſane æque implicatiſſima, ac graviſſima mature & circumſpecte incederet, perdoctis, & præclaris viris eam ſerio diſcutiendam commiſit Guidobono Cavalchino Sacræ Congreg. Concil. a ſecretis, Ioachimo Beſozzi Abbati, & S. R. Inq. Conſultori, qui nunc ambo ſacra Purpura refulgent, P. Thomæ Sergio S. R. Inq. Conſultori, PP. Dominico Turani, & Ægidio Giuli Soc. Ieſu Theologis præclaris. Horum primus eiuſmodi matrimonia catholici cum hæretica, & hæretici cum catholica, coram politico magiſtratu celebrata, valida & rata propugnavit, quando Epiſcopus, aut Parochus adeſſe nequiret: quam ſententiam confirmavit decreto Sac. Congreg. dato 27. Martii an. 1632. Similiter matrimonium hæretici cum hæretica ratum dixit, quod pro illis Tridentinum decretum latum minime fuerit, altero adducto decreto eiuſdem Sac. Congreg. dato die 1. Decembris 1695. Valida quoque hæc matrimonia aſſeruit Eminentiſſimus Beſozzi in *ratione contractus*. Hanc eamdem ſententiam propugnavit Thomas Sergius, quod Tridentinum nihil hac in cauſſa pro hæreticis definire voluerit, cum declaraverit ſuum decretum neminem obſtringere, niſi poſt promulgationem in parochiis faciendam. Nullum tamen exiſtimavit matrimonium inter coniugem catholicum, & hæreticum: quia coniux catholicus per Tridentinum inhabilis ad contrahendum declaratus eſt in abſentia Parochi, & teſtium. Id tamen reſtrinxit, dummodo Parochus adeſſe abſque gravi detrimento poſſit. P. Ægidius Giuli, diu mihi amicitiæ fœdere iunctus, negavit Tridentinum decretum in Hollandia, quæ nunc exiſtit, publicatum eſſe. Quoniam licet promulgatum fuerit tempore quo provinciæ illæ catholicis Regibus ſubiectæ erant, tamen ſublatis parœciis, & catholico regimine, diverſum omnino regimen, diverſi hominum cœtus coaluerunt, & veluti nova natio, ad eccleſiaſticam diſciplinam quod attinet, inducta. Hac via contraria S. Congregat. decreta in concordiam revocare ſtudet. Quæ nulla præfata matrimonia pronuntiant, tempora illa ſpectant quibus Belgium Regi catholico parebat. Decreta quæ valida hæc matrimonia decernunt, tempora poſteriora reſpiciunt.

XIV. His inſignium Theologorum conſultationibus præmiſſis, Pontifex ſanctiſſimus BENEDICTUS XIV. *conſtitutionem* edidit die 4. Novembris 1741. cuius initium eſt, *Matrimonia*, in qua hæc ſtatuit. Primo matrimonia ab hæreticis in Belgio celebrata,

ne-



neglecta Tridentini decreti obſervatione, *pro validis habenda eſſe, dummodo aliud non obſtiterit canonicum impedimentum.* Quare ſi uterque ad catholicam Eccleſiam redierit, *eodem quo antea coniugali vinculo ipſos omnino teneri.* Si vero unus tantum catholicus fiat, *neutrum poſſe, quamdiu alter ſuperſtes erit, ad alias nuptias tranſire.* Ad matrimonia quod attinet contracta a catholicis cum hæreticis, ſive catholica femina cum hæretico viro, ſive hæreticus vir cum femina catholica nubat, monet Pontifex ſummus Epiſcopos, Vicarios apoſtolicos, Parochos, Miſſionarios, aliosque Eccleſiæ miniſtros, in illis provinciis degentes, ut omni ſtudio *Catholicos utriuſque ſexus ab huiuſmodi nuptiis, in propriam animarum perniciem ineundis, quantum poſſint, abſterreant, eaſdemque nuptias omni meliori modo intervertere, atque efficaciter impedire ſatagant.* Subdit tamen, eiuſmodi matrimonia iam contracta, & ſi contingat in poſterum aliquod contrahi, valida eſſe, inquiens: *Matrimonium huiuſmodi, alio non incurrente canonico impedimento, validum habendum eſſe, & neutrum ex coniugibus, donec alter eorum ſupervixerit, ullatenus poſſe ſub obtentu dictæ formæ non ſervatæ novum matrimonium inire.* Hoc tandem pacto controverſiam diu agitatam finivit Pontifex ſummus. A præfatis matrimoniis, cum fiant coram magiſtratu, abſunt præcipua abſurda quæ evitare Tridentinum voluit.

XV. Quæſt. VIII. *Peregrini debent ne contrahere matrimonium iuxta leges quæ vigent in locis ubi perficiendum eſt?* Reſp. Si peregrini, in quorum locis promulgatum non eſt Tridentinum decretum, tranſeant per loca ubi promulgatum dictum decretum eſt, coram Parocho, & teſtibus contrahere tenentur; quia contractus celebrare tenentur iuxta leges locorum in quibus reperiuntur. Quid, ſi peregrini diſcedentes a locis in quibus obligat Tridentinum decretum, tranſeunt per loca ubi decretum illud non obligat? Poſſent ne abſque Parocho, & teſtibus contrahere? Peccare illos mortaliter, communiter affirmant Theologi; validum tamen matrimonium aſſerunt Dicaſtillus, Averſa, Coninch, Palaus, Ledeſma, Bonacina, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *tractat.* 12. *cap.* VIII. *punct.* 2. *num.* 19. Ego non auderem validum aſſerere eiuſmodi matrimonium, quando fideles ſubiecti legibus Tridentini poſſent coram Parocho, & teſtibus contrahere.

XVI. Quæſt. IX. *An validum ſit matrimonium Catholicorum qui in fraudem adeunt loca ubi Tridentinum non eſt promulgatum, ut ſine Parocho, & teſtibus contrahant?* Reſp. P. Thomas Sanch. *Lib. III. diſp.* XVIII. *n.* 29. „ Limitant aliqui hanc ſententiam, niſi „ adirent ea loca in fraudem decreti Tri„ dentini, ut ibi poſſent libere abſque Pa„ rocho, & teſtibus matrimonio copulari: „ tunc enim aiunt eſſe invalidum ... Cete„ rum diſplicet mihi hæc limitatio, & cre„ do, licet adirent eo fine ut poſſent libere „ abſque Parocho & teſtibus contrahere, eſ„ ſe ratum matrimonium. Primo. Nam qui „ utitur iure ſuo, non poteſt dici fraudem „ committere, ut ea ratione effectus impe„ diatur. „

XVII. Hæc opinio falſa, valde laxa, & aperte Concilio Tridentino adverſa eſt. Concilium non modo prohibet matrimonia clandeſtina, ſed præterea inhabiles fideles ad ſic contrahendum declarat. Quid? Poterunt Catholici ad loca hæreticorum, aut infidelium tranſire, ibique contrahere occulte abſque Parocho, & teſtibus: deinde in patriam redeuntes, aliud matrimonium publice inire? Hæc enim & alia ſimilia abſurda talia conſequuntur matrimonia, ut Tridentinum monet. In Sanchezii opinionem concedunt multi recentiores, & inclinant Salmanticenſes *numer.* 21. ſub finem; ſed non propterea a laxitate, ut ego quidem cenſeo, immunis eſt.

XVIII. Quæſt. X. *An fideles, degentes captivi ſub infidelium tyrannide, contrahere valide abſque Parocho, & teſtibus poſſint?* Reſp. Affirmant Sanchez, Bonacina, Perez, Dicaſtillus, & alii, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *num.* 22. P. Claudius La-Croix *Lib. VI. part.* III. *num.* 770. quia Concilium petit ut ſuum decretum ſit publicatum in parochia, ubi celebrandum eſt matrimonium. Hæc autem conditio deficit in præſenti. Si, quod mea minima præfert opinio, dicere in hac implicatiſſima materia licet, aſſererem obſervandam ſemper a Catholicis Legem Tridentini, quoad fieri poteſt. Si in locis ubi degunt, præſentia Parochi haberi moraliter nequeat, adhibeantur teſtes. Quoniam unum ex præcipuis rationum momentis, cur Tridentinum providentiſſime matrimonia clandeſtina vetavit, eſt, ut impediantur poſteriora adulterina coniugia, quæ faciliſſime ex matrimoniis clandeſtinis ſequuntur. Hæc autem vitantur, ſi teſtes adhibeantur, licet Parochus deſit: contractus enim publi-

cas

con reſcindi amplius nequit; cum teſtes celebrationis adſint. Quæ ratio eximere poteſt a celebratione coram teſtibus? Cur lex de teſtibus vocandis ſervari non debet, licet Parochus abſit? Nulla ſane omittendæ legis, alioquin graviſſimæ, & fini a Tridentino intento quam maxime conſentaneæ, cauſſa ſolida aſſignari valet.

XIX. Quæſt. XI. *An Catholici ſubiecti Principi heretico poſſint poſt celebratum matrimonium iuxta Tridentinum ſe ſiſtere miniſtro heretico?* Reſp. Pontifex maximus BENEDICTUS XIV. *de Synodo &c. Lib. IV. cap. v. num.* 4. hoc præbet reſponſum, latum a Congreg. S. Officii die 29. Novemb. 1672. *Catholici qui matrimonio iuncti ſunt coram Parocho, & teſtibus catholicis, in pluribus locis (ita invaluit conſuetudo) ſolent coram miniſtro heretico, ſeu proteſtante, rurſus coniungi ad vitanda gravia damna; neque poteſt conſuetudo hæc a Clero corrigi. Peccant ne? Et quo peccato Catholici, ſic denuo coniuncti coram miniſtro heretico? Et quomodo ſe gerere debet erga illos Ordinarius loci? Sacra Congregatio reſpondit: quatenus miniſter aſſiſtat matrimoniis Catholicorum, uti miniſter politicus, non peccare contrahentes: ſi vero aſſiſtat ut miniſter addictus ſacris, non licere; & tunc contrahentes peccare mortaliter, & eſſe monendos.*

XX. Adiicit *num.* 5. Pontifex ſummus. „Huic ſacræ Congregationis ſententiæ noſtram Nos auctoritatem adiecimus in *noſtra conſt.* lxxxix. §. 10. *noſtri Bullarii Tom. I.* ubi fidelibus degentibus in regno Serviæ, finitimiſque regionibus interdicimus, ne matrimonio inter ſe catholico ritu celebrato, illud renovare præſumant coram *Caddi*; noſtram tamen interdictionem hac temperamus limitatione, niſi ſcilicet nuptiarum ceremonia explenda coram *Caddi* actus ſit mere civilis, nullamque contineat Mahumetis invocationem, aliudve ſuperſtitionis genus includat.“

XXI. Quæſt. XII. *Quis ſit Parochus præſcriptus a Tridentino?* Reſp. Parochum, vel Sacerdotem de Parochi licentia aſſiſtere matrimonio debere, Tridentinum præſcribit. Parochus autem proprius eſſe debet ſaltem unius contrahentium. Si enim femina ſit unius, vir alterius parœciæ, ſufficit ut unus Parochus ſive viri, ſive mulieris matrimonio aſſiſtat. Uſus obtinet pluribus in locis ut coram Parocho feminæ de licentia Parochi viri celebretur matrimonium. Requiruntur tamen litteræ teſtimoniales Parochi viri de proclamationibus conſuetis. Proprius autem Parochus non originis, ſed domicilii eſt: quia is facilius deprehendere, ſi quod eſt impedimentum inter contrahentes, poteſt.

XXII. Quæſt. XIII. *Requiriturne animus perpetuo manendi in parochia, ut dicatur proprius Parochus domicilii?* Reſp. Qui habet domicilium in civitate, alioque pergat ad breve tempus, puta ad villam, vel recreationis cauſſa, vel ut villicationi invigilet, animo poſtea redeundi, non poteſt matrimonium coram Parocho illius villæ celebrare; ut communior, & vera ſententia docet: quidquid in oppoſitum alii doceant, opponentes aliorum ſacramentorum adminiſtrationem. Verum ratio hæc futilis eſt, cum ſacramentorum adminiſtratio ab Eccleſiæ iuriſdictione pendeat. Eccleſia autem matrimonii celebrationem a ſolo proprio Parocho fieri præcipit.

XXIII. Si quis ſe transferat ad locum, villam, oppidum &c. animo ibidem manendi, non pro brevi tempore, ſed ad maiorem anni partem, & poſtea redeundi ad proprium domicilium, communior ſententia docet, poſſe hunc celebrare matrimonium coram Parocho talis loci, in quo maiorem anni partem habitare deliberavit. Et celebrationem fieri poſſe docent, dum per breve tempus primo incepit ibidem habitare. Quoniam, inquiunt, per ſolam inhabitationem conducta domo, aut officina, acquiritur quaſi domicilium. Porro habitatio conſtituens quaſi domicilium ſat eſt ad conſtituendum parochianum proprium. Si quis in duobus locis quaſi æqualiter plus minuſve habitet, tunc is duos habebit Parochos; & coram alterutro contrahere poterit. Sicut enim duplex inhabitationis domicilium, ſic duos Parochos habet: neque unus expectare alterius licentiam debet, cum par in parem poteſtatem non habeat. Conſilium tamen mutuo habere poterunt, & ſæpe expediet.

XXIV. Extra propriam parochiam, immo diœceſim, poſſe proprium Parochum aſſiſtere matrimonio ſuorum parochianorum, quin mortaliter peccet, docent communiter recentiores. Mihi tamen probabilius eſt, Parochum debere a Parocho loci licentiam petere. Exercere enim iuriſdictionem, tametſi non contentioſam, debet, ut ego quidem ſentio: & in omnium ſententia officium publicum præſtare debet: & tandem hoc tutius eſt.

XXV. Quæſt. XIV. *Quis dicatur Parochus vagorum?* Reſp. Illi appellantur vagi qui nullibi certum domicilium habent, ſed vagantes huc atque illuc immigrant. Nomi-

ne



ne vagorum communiter comprehenduntur illi qui, proprio domicilio relicto, navigant, iter agunt, ut alicubi ſe collocent. Similiter vagi ſunt qui deſerentes proprium domicilium alio pergunt, ut ibidem inhabitent. Illi, quamdiu ſunt itinerantes, nullibi reipſa domicilium habent: non primum, quia relictum; non ſecundum, quia nondum acquiſitum: idemque eſt de eo qui, relicta propria parœcia, aliam inquirit. Porro horum vagorum matrimonio quemlibet Parochum aſſiſtere poſſe docent communiter Theologi. Antequam tamen Parochi vagorum matrimoniis aſſiſtant, petere ab Epiſcopo licentiam, ſeveramque præmittere diligentiam debent, ut colligant, num liberi, num impedimento aliquo obſtricti ſint &c. Si coniugum alter vagus ſit, alter incola, convenientius eſt ut incolæ Parochus aſſiſtat. Si vagi ea in ætate in qua contrahere matrimonium poterant, in aliquem locum venerint, tum eſt neceſſaria maior diligentia. Obſervandum etiam, alios eſſe vagos ignotos, de quibus dictum eſt; alios notos, quia ſunt eiuſdem loci; vagique dicuntur, quia propriam parochiam non habent: tunc, præmiſſis denuntiationibus conſuetis, quilibet parochus aſſiſtere poterit. Quod dictum de vagis eſt, dicendum quoque de alienigenis ignotis, alibi fixum domicilium habentibus: quia eadem de his ac de vagis ratio urget, cum & illi alibi matrimonium contraxiſſe potuerint.

XXVI. Quæſt. XV. *An Parochum matrimonio aſſiſtentem Sacerdotem eſſe oporteat?* Reſp. Negant Sanchez, Caſtropalaus, Gonet, Trollenchus, & alii; quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *tr.* IX. *cap.* VIII. *punct.* 4. *n.* 40. Et omnes illi qui negant Parochum eſſe miniſtrum huius ſacramenti, conſequenter illum eſſe Sacerdotem non requirunt.

XXVII. Contraria ſententia mihi eſt cum graviſſimis Theologis ſupra laudatis probabilior, nempe Parochum eſſe matrimonialis ſacramenti miniſtrum. Hinc neceſſario conſequitur, Parochum debere eſſe Sacerdotem. Quid quod ex ipſo Tridentino aperte infertur ſententia noſtra? Hæc ſunt Tridentini verba: *qui aliter quam præſente Parocho, vel* ALIO *Sacerdote* &c. Qui explere vices Parochi debet, *alius Sacerdos* ſit oportet. Ergo Parochus Sacerdos eſſe debet. Quid enim iuxta obvium ſenſum hæc dictio ſignificat? *Alius Sacerdos*. Sane non aliud, niſi hoc: Si Parochus Sacerdos non aſſiſtit, aſſiſtat alius qui ſit Sacerdos. Variis interpretamentis eludere hunc textum conantur adverſarii, quæ miſſa facio; cum adverſæ ſententiæ ſuam probabilitatem non denegem. Atqui neque adverſarii noſtræ ſententiæ ſuam, & quidem gravem, probabilitatem negare ullo modo poſſunt. Porro cum in ſacramentis conferendis ex opinionibus probabilibus tutior pars ſit neceſſario eligenda, cum de ſacramenti valore, præſertim reſpectu materiæ & formæ, agitur, ipſis fatentibus; conſequitur, illorum opinionem, ad praxim quod attinet, omnino eſſe reiiciendam. De neceſſitate eligendæ tutioris ſententiæ, ubi agitur de ſacramentorum valore, nulla eſt diſputatio. Noſtram ſententiam probabilem eſſe, in controverſiam vocari a prudente Theologo nequit, & præſertim a Probabiliſtis. Conſequentia autem evidens, & neceſſaria eſt.

XXVIII. Mutuo adverſarii diſputant; peccet ne mortaliter Parochus non Sacerdos aſſiſtens matrimonio? Affirmant alii, & alii negant. Salmanticenſes *n.* 45. negantem opinionem defendunt: quia, inquiunt, matrimonium non exponitur periculo nullitatis. Ecur? Quia, ſubdunt, *in re pendente ex iure poſitivo, quando adeſt probabilis opinio, Eccleſia ſupplet defectum, ſi adſit, & facit valere matrimonium ſic celebratum*. Hoc eſt purum putumque Probabiliſmi commentum, omni prorſus fundamento deſtitutum, ut *Tom. IX.* oſtenſum eſt. Unde colligunt Eccleſiam ſupplere? Quodnam documentum promunt? Nullum prorſus, præter quorumdam Caſuiſtarum opiniones. Nos vero luculentiſſima Eccleſiæ teſtimonia adduximus, quibus Eccleſia declarat ſe nolle ſupplere, cum iubeat ut tutior pars eligatur. Quando adeſt titulus coloratus, ſupplet: quia Eccleſia ipſa declaravit hoc in caſu ſe velle ſupplere, ut *loc. cit.* dictum eſt. Parochus igitur non Sacerdos dare licentiam Sacerdoti debet ut matrimonio aſſiſtat.

XXIX. Quæſt. XVI. *An Parochus excommunicatus non toleratus aſſiſtere matrimonio poſſit?* Reſp. De Parocho excommunicato tolerato, & non vitando nulla eſt difficultas, hunc poſſe matrimonio aſſiſtere. Excommunicatum quoque Parochum vitandum poſſe aſſiſtere matrimonio, communiter affirmant recentiores, dummodo non ſit eiuſmodi Parochus in iudicio parochiali beneficio privatus: quia, inquiunt, hoc ipſo quod beneficio privatus non ſit, vere Parochus eſt. Sed Concilium Parochi aſſiſtentiam tantum requirit. Peccare tamen Parochum excommunicatum non toleratum aſſiſtentem matrimonio fatentur. P. Dominicus Viva *quæſt.* IV.

*art.*

art. 4. num. 9. non modo valide, ſed etiam licite cum Sanchez, & aliis contendit, Parochum excommunicatum non toleratum aſſiſtere matrimonio poſſe. Sed hanc opinionem ut falſam & laxam reiicio. Addit tamen Viva, licite aſſiſtere Parochum excommunicatum non toleratum, ſi requiratur a ſponſis: tum enim datur, inquit, ſufficiens neceſſitas; ſi vero aſſiſteret abſque ulla neceſſitate; tum peccaret quidem, at non incurreret, ſubdit Viva, irregularitatem. Sed hæc arbitraria commenta ſunt. Peccarent enim vel ipſi ſponſi poſtulantes Parochum excommunicatum non toleratum, ut tanto ſacramento aſſiſteret. P. Viva cum aliis tamquam certam obtrudit opinionem aſſerentem, Parochum non eſſe miniſtrum huiuſce ſacramenti: & huic falſo ſuppoſito nixi dictas opiniones inferunt, quas nos falſas reputamus. Graviſſima & urgentiſſima neceſſitas forſitan a peccato excuſare poſſet ſponſos, & eiuſmodi Parochum a peccato.

XXX. Salmanticenſes *loc. cit. n.* 49. cum Bonacina, Coninchio, & aliis inferunt, Parochum cui Epiſcopus ob crimen, aut imperitiam prohiberet ne aſſiſteret matrimonio, aliaque ſacramenta adminiſtraret, valide nihilominus aſſiſtere matrimonio: eo quod Epiſcopus, licet prohibeat ne aſſiſtat ob crimen, aut imperitiam, tamen Parochi qualitatem non aufert. Ergo aſſiſtere matrimonio valide poteſt. Peccaret tamen mortaliter, quia iuſtum ſuperioris præceptum infringeret. Hæc opinio mihi non probatur. Cum enim Epiſcopus prohibet Parocho ne ſacramenta adminiſtret, & ſigillatim ne matrimonio aſſiſtat, ſubtrahit eidem omnem iuriſdictionem in ſacramentorum adminiſtratione. In noſtra autem ſententia Parochus eſt miniſter huiuſce ſacramenti, & iuriſdictionem exercet. Ergo, ſublata hac ab Epiſcopo, celebrari matrimonium nequit.

XXXI. Quæſt. XVII. *An Parochus excommunicatus vitandus, vel ſuſpenſus poſſit alteri Sacerdoti vel excommunicato, vel non excommunicato licentiam dare ut matrimonio aſſiſtat?* Reſp. Adfirmant Bonacina, Diana, Trullenchus, Sanchez, Caſtropalaus, Leander; quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes n. 51. Sed negant Suarez, Layman, Soto, Coninch, Dicaſtillus. Et hæc ſecunda opinio eſt probabilior: quia conceſſio licentiæ aſſiſtendi ſacramento matrimonii eſt actus iuriſdictionis, quam impertiri excommunicatus vitandus nequit.

XXXII. Quæſt. XVIII. *An Parochus cum titulo colorato, & errore communi valide aſſiſtat matrimonio?* Reſp. Titulus coloratus, ut ſuo loco dictum eſt, tunc habetur, quando verum titulum quis obtinet a legitimo Superiore; ſed vel ob occultum impedimentum inhabilis ad illum obtinendum eſt, vel occulte privatus eſt poſt aſſecutionem. Hic eſt titulus coloratus. Error vero communis eſt, quando communiter omnes probabiliter iudicant talem titulum eſſe collatum. Non ſufficit huius aut illius ignorantia, neque error communis craſſus & ſupinus, ſed requiritur probabilis opinio, qua iudicetur hunc eſſe verum Parochum.

XXXIII. Communis Theologorum ſententia docet, Parochum qui a legitimo Superiore obtinuit beneficium parochiale, invalide tamen ob occultum impedimentum, vel valide, ſed poſtea alio titulo fuit privatus, non tamen publice ſpoliatus, ſi adſit error communis, quo verus Parochus reputetur, valide aſſiſtere matrimonio, & cetera ſacramenta adminiſtrare: idque colligunt ex cap. *Infamis*, III. qu. VII. Ius quippe canonicum ob vitanda plurima incommoda, & abſurda declaravit, Eccleſiam ſupplere, quando hæc duo adſint, titulus coloratus, & error communis.

XXXIV. Sufficitne error communis abſque titulo colorato? P. Sanchez *Lib. III. diſp.* XXI. *nn.* 49. & 50. licet benigniſſimus, ne probabilem quidem vult opinionem adfirmantem. Sed P. Viva *q.* IV. *art.* 4. *n.* 12. fatetur quidem, P. Sanch. ut improbabilem reiicere opinionem adfirmativam; ſubdit tamen cum ſuo Diana, Molfeſio, & Ioanne Sanch. [illegible], aliiſque præfatam opinionem eſſe probabilem; eamque ſuadere nititur, quia, inquit, *ex æquitate & benignitate iuris aſſerendum, utrobique ſuppleri defectum, qui a poteſtate humana ſuppleri poteſt*. Hæc interpretatio arbitraria, falſa, & laxa eſt.

XXXV. Quæſt. XIX. *Quinam præter Parochum aſſiſtere matrimonio valent?* Reſp. Præter Parochum, & Sacerdotem de licentia Parochi, aſſiſtere poſſunt Epiſcopi in ſuis diœceſibus, Archiepiſcopi in diœceſibus ſuffraganeorum, quando actu viſitant, Cardinalis in Eccleſia ſui tituli, Legati pontificii in provincia legationis, Capitulum ſede vacante, ſive eius Vicarius, Abbates Eccleſiæ nulli Epiſcopo ſubiectæ, Vicarius generalis Epiſcopi, quocum unum tribunal efficit.

XXXVI. Quæſt. XX. *An licentia extorta vi, metu gravi, fraude, ſatis ſit ut Sacerdos valide aſſiſtat matrimonio?* Reſp. Adfirmant





mant Salmanticenſes *loc. cit. n.* 56. & citant Sanchez, Palaum, & Pontium. P. Viva *loc. cit. n.* 10. cum Bonacina diſtinguit. Si metus gravis, dolus, mendacia verſentur circa cauſſam impulſivam, validum eſt matrimonium; ſi circa cauſſam finalem, aut ſi Parochus expreſſe, dum licentiam concedit, dicat, ſe illam non concedere, veritate deficiente, nullum matrimonium erit. Verum, his ſpeculationibus miſſis, libertatem ſummopere in matrimonio Eccleſia poſtulat. Idcirco eiuſmodi licentiæ gravi metu, fraude, aut vi extortæ nullæ ſunt; atque adeo nullum efficiunt matrimonium. Hæc licentia libera ſit oportet & expreſſa; nec abſolute loquendo ſufficit tacita. Parochus, videns Sacerdotem ſe diſponentem ad aſſiſtendum matrimonio, & non prohibens, tacite conſentit: & hoc ſufficit, inquiunt Salmanticenſes n. 56. Sed hoc abſolute falſum eſt: quia illius taciturnitas ex iuſtis cauſſis proficiſci valet quin ſolidum præſtiti conſenſus argumentum præbeat. De ſolemnitate ad valorem ſacramenti neceſſaria agitur; & coniecturis hærendum erit? Antequam ergo Sacerdos matrimonio aſſiſtat, expreſſam habere licentiam debet a Parocho. Neque ſufficit Parochum illam per litteras miſiſſe, ut poſſit Sacerdos, antequam litteras accipiat, matrimonio aſſiſtere; ſed litteras expectare, & certam conceſſionis notitiam habere tenetur, antequam matrimonium celebret.

XXXVII. Quæſt. XXI. *Utrum ad valorem matrimonii requirantur duo teſtes præter Parochum?* Reſp. Adfirmant omnes, nullum eſſe matrimonium contractum coram Parocho, & uno teſte: quia Tridentinum duos præter Parochum teſtes adeſſe præſcribit; qui ſimul, & in eodem loco præſentia phyſica, & morali adeſſe debent, & utriuſque coniugis mutuum conſenſum percipere. Si unus teſtis huius coniugis, & alter teſtis alterius coniugis conſenſum audiret, nullum eſſet matrimonium. Similiter ſi Parochus hoc tempore, teſtes alio tempore diverſo, coniugum conſenſui aſſiſterent, matrimonium eſſet irritum. Debent igitur ſimul & ſemel eſſe teſtes & conteſtes mutui amborum coniugum conſenſus.

XXXVIII. Quæſt. XXII. *An iſti teſtes omni exceptione maiores eſſe debeant?* Reſp. Teſtes omni exceptione maiores illi dicuntur quibus nulla in iudicio opponi exceptio valet; puta, quod non ſint pubertatem nacti, quod aliqua infamiæ nota maculati ſint, ſuſpecti, propinqui, excommunicati &c. Hæ ſunt exceptiones quæ opponi in iudicio poſſunt. Illi quibus hæc opponi nequeunt, dicuntur omni exceptione maiores. Tales teſtes ad matrimonii valorem communiter Auctores non requirunt; ſed ſufficere communiter aiunt impuberes, infames, excommunicatos, feminas, propinquos, ſervos, parentes, infideles; neque neceſſe eſſe ut ſint vocati, ſed ſat eſſe ut factum perceperint, viderintque. Ad diſſolvendum vero matrimonium poſtulant teſtes omni exceptione maiores. Quoniam, inquiunt, ſi ad valorem matrimonii requirerentur teſtes omni exceptione maiores, via lata aperietur ad matrimonia irritanda: & contra, ſi ad matrimonium diſſolvendum ſufficerent teſtes infames, ſimiliter matrimonia diſſidiis, litibus, & reſciſſionibus obnoxia forent. Eiuſmodi tamen ſive teſtes, ſive Parochi adeſſe matrimonio debent præſentia non modo phyſica, ſed etiam morali, ideſt uſu rationis præditi, advertentes, & percipientes actionem. Quamobrem furioſi, amentes, ebrii, uſu rationis deſtituti inepti ſunt ad teſtimonium de matrimonio ferendum. Cæcos optime audientes, & ſurdos viſu præditos teſtes eſſe poſſe aiunt. Hos ego, ſaltem ſurdos, non admitterem.

XXXIX. Quæſt. XXIII. *Satne eſt ut Parochus, & teſtes tranſeunter, & non vocati, matrimonio interſint?* Reſp. Adfirmant Sanchez, Ledeſma, Averſa, Trullenchus, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *num.* 65. quia, inquiunt, ſive caſu & tranſeunter, ſive vocati & ex condicto interſint, dummodo advertant & percipiant factum, atque teſtari poſſunt peractum matrimonium eſſe, quod eſt Concilii intentum. Contra Pontius, Bonacina, Leander *tract.* 1. *diſ.* VII. *quæſt.* XXXVIII. oppoſitum defendunt. Quia ut Parochus dicatur aſſiſtere matrimonio, debet eſſe vocatus & rogatus. Et ita declaraſſe S. Congregationem Cardinalium teſtatur, inquit Leander, Farinacius *pag.* 168. & 172. ubi non unam, ſed plures affert declarationes, quarum una hæc eſt. *Parochus ita præſens matrimonio debet eſſe, ut appareat a contrahentibus hac de cauſſa adhibitum fuiſſe*. Hanc ſententiam veram exiſtimo.

XL. Quæſt. XXIV. *An ſi Parochus, & teſtes vi, dolo, metu vocati fuerint, ut aſſiſtant, validum eſſet matrimonium?* Reſp. Adfirmant communiter recentiores, Ledeſma, Trullenchus, Caſtropalaus, Pontius, Bonacina, Sanchez, & alii; quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *num.* 66. Leander *quæſt.* XXXIX. citat Farinacium, aſſerentem

*pag.* 268. declarationes Congregationis Cardinalium, in quibus aſſeritur matrimonium validum, etiamſi Parochus compulſus, & prohibitus a ſuo Ordinario aſſiſteret. Si veræ & authenticæ ſint eiuſmodi declarationes, iis ſubſcribo, & ſubiicio id quod ſupra dixi de Parocho aſſiſtente matrimonio contra Epiſcopi ſui prohibitionem. At, præciſis his declarationibus, de quibus mihi non conſtat, invalidum matrimonium pronuntiarem cui Parochus coactus fraude, dolove inductus aſſiſteret. Nam intentum Concilii non modo eſt ut habeatur atteſtatio matrimonii peracti, ſed etiam ut matrimoniale ſacramentum ſit libere & ſancte celebratum.

XLI. Quid, ſi Parochus coactus oculos claudat, obturetque aures, & proteſtetur ſe neque videre, neque intelligere quid agatur? Etiam tum valere matrimonium, adfirmant Leander, Pontius, Ledeſma, Salmanticenſes *n*. 67. & afferunt ex Farinacio declarationem Congregationis Cardinalium. Oppoſitum docent Sanchez, Bonacina, Trullenchus. Præciſis declarationibus citatis, quibus veris & authenticis extantibus, ſemper ſubſcribo, hanc ſecundam opinionem exiſtimo veram, & priorem falſam.

XLII. Quæſt. XXV. *Peccant ne mortaliter qui dolo, & metu gravi cogunt Parochum, vel teſtes, ut matrimonio aſſiſtant?* Reſp. Peccare mortaliter illos qui coram Parocho, vi aut dolo detento, aut tranſeunter & caſu aſſiſtente, matrimonium celebrarent, adfirmant vel ipſi recentiores citati communiter omnes. Quoniam ſacramenta ſuſcipi debent auctoritate & approbatione Eccleſiæ, quæ in præſenti deficeret. Præterea peccarent ratione irreverentiæ, & iniuriæ irrogatæ Eccleſiæ, ſacramento, & ipſi Parocho. Addunt tamen, neceſſitatem urgentem excuſare a culpa, quando nempe contrahendi gravis cauſſa urgeret, Parochus nollet aſſiſtere, & Superior adiri non poſſet, ut compelleretur Parochus. Verum ex arbitrio hæc negantur: niſi enim Parochus demens ſit, nullaque cauſſa obſit, non eſt præſumendum ullo in caſu illum nolle matrimonio legitime contrahendo aſſiſtere. Si refragatur, argumento eſt eum iuſtam habere reſiſtendi cauſſam vel ob aliquod impedimentum occultum, quo irretitos novit contrahentes, vel ob aliam cauſſam. Quare abſque fundamento recentiores iſti, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *num*. 68. tribuunt contrahentibus poteſtatem cogendi proprium Superiorem, ſeu Parochum, ut ſibi inſerviat, & pro arbitrio proprio ſacramento matrimoniali aſſiſtat.

XLIII. Quæſt. XXVI. *Quæ præſtare Parochus debet in matrimonii celebratione?* Reſp. Interrogare primum contrahentes debet, velint ne mutuo ſe ſe coniungere. Audito illorum mutuo conſenſu, coniungere illos debet pronuntiando verba præſcripta a Concilio: *Ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris &c.* aut ſimilia iuxta propriæ Eccleſiæ diſciplinam. Tandem matrimonium contractum litteris conſignare debet in libro ad id deſtinato. Si interrogationem omitteret Parochus, quando ipſi contrahentes ſponte mutuum exprimerent conſenſum, non peccaret mortaliter; cum non videatur res adeo gravis, cuius omiſſio conſtituat letalem culpam. Peccaret vero mortaliter, ſi negligeret deſcribere in conſueto libro celebratum matrimonium: quia frangeret præceptum Tridentini in re graviſſima.

XLIV. Quæſt. XXVII. *Peccat ne mortaliter Parochus omittens hæc verba*, Ego coniungo *&c.*? Reſp. P. Thomas Sanchez hæc habet *Lib. III. diſp.* XXXVIII. *n.* 7. „ Tertia concluſio. Culpa venialis eſt ea verba
„ (*Ego coniungo vos &c.*) omittere........
„ Probatur: quia materia non eſt gravis,
„ cum ea verba non ſint forma ſacramenti,
„ *nec pertineant ad ſolemnitatem magni momenti*, nec includant myſterium magnæ ſi-
„ gnificationis. Præterea quia quamvis Tri-
„ dentinum utatur verbis præceptivis; at ſub
„ illo præcepto non continetur tantum ut
„ Parochus ea verba proferat, ſed alia ma-
„ gni momenti, nempe ut præmittantur de-
„ nuntiationes, & ut matrimonium celebre-
„ tur coram Parocho, & teſtibus, ut habeat
„ librum &c."

XLV. Hæc opinio falſa & laxa, ut mitiſſime loquar, eſt. Nuptiarum benedictio, & verba relata, ſeu alia ſimilia, quibus Parochi coniungunt contrahentes, eſt unum ex potiſſimis ſacræ traditionis monumentum, quo adverſus heterodoxos Catholici evincunt matrimonium eſſe ſacramentum. Hanc benedictionem nuptiarum ſemper allegarunt Patres poſt divinas Scripturas, ut ſacramentum eſſe matrimonium evincerent. Quo ergo fundamento hanc verborum prolationem, hanc ſacram nuptiarum benedictionem *rem levem* vocat P. Sanchez? An probabilis, & quidem valde, opinio non eſt, præfata verba, & ſacram benedictionem ad ſacramenti formam pertinere, ut ſupra oſtenſum eſt? An in ſacramentis perficiendis tutior opinio ſeligenda

non



non eſt? Falſa ergo & laxa, ne plus dicam, eſt recenſita P. Sanchez opinio.

## CAPUT V.

*De denuntiationibus, ſeu proclamationibus, quæ antecedere matrimonium debent.*

I. SPonſalium denuntiationes ex antiqua Eccleſiæ diſciplina Theologi repetunt. Antiqui Chriſtiani Sacerdotes, & Epiſcopos ſuos conſulebant, antequam matrimonia inirent, ne hæreticis, Iudæis, aut infidelibus immiſcerentur. Denuntiationum iſtarum meminiſſe Tertullianum aliqui contendunt *Lib. II. cap.* IX. ad uxorem, ubi inquit: *Unde ſufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio, Angeli renuntiant, Pater ratum habet?* Angelorum nomine Sacerdotes intellexiſſe Tertullianum volunt; & per verbum *renuntiant* futuri matrimonii proclamationes. At hæc ſunt piæ interpretationes. Neque enim ex laudato teſtimonio hoc inferri legitime videtur. Utcumque res ſe ſe habeat, perveruſtum eſſe morem hunc, convenit penes omnes.

II. Quæſt. I. *An denuntiationes futuri matrimonii neceſſariæ ſint neceſſitate ſacramenti, aut præcepti?* Reſp. Non eſſe neceſſarias neceſſitate ſacramenti, convenit penes omnes; cum Tridentinum non declaret irrita matrimonia ſine eiuſmodi denuntiationibus celebrata; immo ex gravi cauſſa omitti poſſe concedit. Eſſe vero neceſſarias neceſſitate præcepti, certum eſt ex Concilio generali Lateranenſi IV. *cap.* II. ubi hæc habentur. *Specialem quorumdam locorum conſuetudinem ad alia generaliter prorogando ſtatuimus, ut, cum matrimonia fuerint contrahenda in Eccleſiis, per Presbyteros publice proponantur, competenti termino præfixo, ut infra illum, qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum opponat.* In multis Hiſpaniæ Eccleſiis hanc Lateranenſis Concilii ordinationem receptam non fuiſſe teſtatur P. Dominicus Soto in *IV. diſt.* XXVIII. *q.* I. *art.* 2. quia, inquit, per *banna*, ſeu proclamationes, *quibus impedimenta caveri curantur, obſtacula potius obiicerentur ne fierent*. Verum diſciplinam præſcriptam a Concilio Lateranenſi anno 1215. inſtauravit, confirmavitque Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *cap.* I. his verbis. *Sacri Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III. celebrati veſtigiis inhærendo, præcipit ut in poſterum, antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium ſit contrahendum: quibus denuntiationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur.* Eiuſmodi proclamationes a proprio contrahentium Parocho, vel ab alio Sacerdote de eius licentia fieri debent. Si coniuges ſint diverſæ parochiæ, denuntiationes fieri in utraque parochia debent, ut facilius impedimenta manifeſtentur, ſi quæ fuerint. Si coniuges mutaverint parochiam, in illa parochia fieri proclamationes debent in qua diutius vixerunt; quamvis ad hoc quod attinet, prudentiæ Parochorum, & locorum conſuetudini permittendum videtur, ut ipſi ibi fieri proclamationes curent ubi facilius deprehendi impedimenta poſſint.

III. Proclamationes iſtæ tribus diebus feſtivis inter Miſſarum ſolemnia fieri debent: quia tunc maior eſt populi frequentia; atque adeo impedimenta facilius deprehendi poſſunt. Communiter inter Miſſarum ſolemnia fieri debent, quia ſic præſcribit Concilium, & ſic communiter fit. Ceterum res tanti non eſt ut fieri non poſſint etiam extra Miſſam poſt, vel ante concionem, aliamve functionem eccleſiaſticam, dummodo frequentia populi adſit. Finis enim Concilii eſt, ut impedimenta deprehendantur. Diſputant Theologi, num fieri hæ proclamationes poſſint tribus diebus feſtivis continuatis, an intercedere aliqui feriati dies debeant. Salmanticenſes *n*. 75. contendunt fieri poſſe in triduo Paſchatis, aut altero triduo feſtivo; quia Concilium dicit eiuſmodi proclamationes fieri debere tribus diebus feſtis continuis. Verum ſenſus Concilii videtur eſſe, quod hæ denuntiationes fiant tribus diebus feſtivis continuis, puta tribus Dominicis, & ſi intercurreret in hebdomada aliquod feſtum, etiam illud computari poſſet. Congruum enim tempus intercedat oportet inter unum & alterum feſtum. Propria tamen Ritualia conſulenda ſunt. Si poſt denuntiationes multum temporis interflueret ante matrimonii celebrationem, tum repetendæ denuntiationes eſſent: quia aliquod impedimentum ſupervenire tum poſſet. Matrimonium celebrari non debet ultimo die qua facta eſt tertia denuntiatio.

IV. Quæſt. II. *Præceptum denuntiationum obligat ne ſub mortali?* Reſp. Sententia communis & vera adfirmat: quia præceptum de re gravi eſt; cum eo ſpectet, ut plura abſurda impediat. Præceptum illud omnes com-



pre-

prehendit. Exempti tamen ſunt Principes ſummi: quia eorum genus omnibus innoteſcit, nihilque clanculum in matrimoniis contrahendis agere valent. Diſputant Theologi, num unam vel alteram denuntiationem omittere ſit peccatum mortale. Salmanticenſes *num.* 78. cum Sanchez, Trullench, Diana, & aliis docent, probabilius eſſe, non committere grave peccatum Parochum qui unam vel alteram proclamationem omitteret, quando moraliter certus eſſet nullum occurrere impedimentum. Sed hæc opinio arbitraria eſt, nullo ſolido fundamento nixa. Parendum eſt Eccleſiæ, ejuſque præceptum exacte implendum. Si una vel altera omitti poteſt, cur non & tertia? Quiſque moralem certitudinem de impedimentis non extantibus ſibi perſuadere pro arbitrio poſſet, & ſic Eccleſiæ præceptum deludere. Mirifica eſt quorumdam Auctorum libertas in legibus pro genio flectendis.

V. Quæſt. III. *Quis poteſt ab ejuſmodi proclamationibus diſpenſare?* Reſp. Præceptum proclamationum diſpenſationem admittere, fatentur omnes; cum id pateat ex ipſo Tridentino. Hanc vero diſpenſationem ſoli Epiſcopo competere, idem Concilium decernit. Si conjuges ſint diverſæ diœceſis, ſatis eſſe ut alterius Epiſcopus diſpenſet, plures docent. Nomine Epiſcopi veniunt etiam Abbates, & Priores, juriſdictione quaſi epiſcopali præditi. Vicarius quoque generalis Epiſcopi juxta plures poteſt hanc diſpenſationem concedere, niſi ab Epiſcopo hæc facultas eidem expreſſe adempta ſit: quia unum eſt Epiſcopi, & Vicarii generalis tribunal. Alii negant niſi expreſſe Epiſcopus facultatem eidem concedat. Verum hæc difficultas penes Epiſcopum, ejuſque Vicarium ſit.

VI. Quæſt. IV. *Requiritur ne aliqua cauſſa pro licita diſpenſatione concedenda?* Reſp. Omnis diſpenſatio abſque juſta cauſſa illicita eſt, & legis diſſipatio: quare peccant tum petentes, tum concedentes diſpenſationes abſque legitima cauſſa. Si tamen proclamationes fieri non poſſent abſque gravi infamia; ſi infirmus eſſet morti proximus, ejuſque conſcientiæ expediret eam cui fidem dedit, ducere; ſi probabilis ſuſpicio occurreret, matrimonium malitioſe impeditum iri, & ad Epiſcopum non pateret aditus, eſſetque periculum in mora: tum Parochus, adhibitis teſtibus, conjungere ſponſos valet abſque proclamationibus. Hæc ſunt Tridentini *ſeſſ.* XXIV. *cap.* 1. verba. *Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur: deinde ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant.... niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur.* Hæc ultima verba indicant, quam cautos eſſe oporteat Parochos in ejuſmodi proclamationum omiſſione; cum Concilium velit poſt celebratum matrimonium, ante ejuſdem conſummationem, denuntiationes fieri, niſi Ordinario aliter viſum fuerit.

VII. Diſputari ſolet, quænam aliæ, præter aſſignatas, ſint juſtæ diſpenſationis cauſſæ. Verum id arbitrio, & prudentiæ Epiſcopi relinquendum eſt. Cavere tamen Epiſcopi debent ne nimis faciles in ejuſmodi diſpenſationibus concedendis ſint. Providendum ne venales ſint tales diſpenſationes: quæ profecto tunc eſſent quando nulla allegata cauſſa, & ſola numerata pecunia concederentur, quando ſoliis infimæ plebis conjugibus, qui expendere pecuniam nequeunt, denegarentur; & divitibus, atque nobilibus omnibus indiſcriminatim paterent. Quare Parochi, data occaſione, debent vim præcepti præmittendi has denuntiationes explicare, atque altius inculcare, præceptum illud non plebejos modo & pauperes, ſed divites æque & nobiles obligare.

VIII. Quæſt. V. *Qui novit aliquod impedimentum inter eos qui contrahere matrimonium debent, tenetur ne illud manifeſtare?* Reſp. Si impedimentum ſit publicum, vel ſi probari per teſtes poſſit; tunc omnes fatentur ſub gravi culpa manifeſtandum eſſe, ſive impedimentum ſit dirimens, ſive impediens. Si impedimentum ſit occultum, probarique per teſtes nequeat, diſputant in utramque partem Auctores. Negant aliqui. Sed ſententia affirmans, quam defendunt Sanchez, Leander, Trullench, Perez, Palaus, Dicaſtillus, Hurtado, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *n.* 97. probabilior, & communior. Quilibet enim parere Superiori legitime præcipienti tenetur, ut 2. 2. *q.* LXX. *art.* 1. *ad* 2. S. Thomas docet. Sed Parochus præmittens denuntiationes legitime præcipit manifeſtanda impedimenta inter conjuges quorum futurum matrimonium denuntiat. Accedit quod revelanti impedimentum non incumbit probatio, ſed Parocho: & tandem in hac materia unus teſtis ſufficit ad fidem faciendam. Et hoc verum eſſe citati Auctores jure affirmant, etiamſi

illud



illud impedimentum quis ſciat ſub naturali ſecreto extra confeſſionem. Quoniam ſecretum naturale, & juramentum eidem adhærens non obligant, quando ex eorum obſervantia damnum grave imminet aut commune, aut particularis perſonæ. Matrimonium autem celebratum cum impedimento dirimente graviſſima damna parit tunc conjugibus, tum eorumdem filiis, atque conſanguineis. Denique hic non agitur de alicujus punitione, ſed de peccato vitando, & ſubducendo proximo a morte ſpirituali animæ. Juramentum autem, ſive ſecretum naturale non eſt iniquitatis vinculum.

IX. Qui audivit aliquod impedimentum a perſona fide digna & omni exceptione majori, ſi hæc Parocho non manifeſtaverit, vel manifeſtare noluerit, tenetur qui audivit, revelare Parocho quid, & a quo audierit. Si vero impedimenti recordetur, levis perſonæ, aut ſi perſona non ſit omni exceptione major, tum debet auditor Parochum monere ut diligentiam in deprehendenda veritate adhibeat.

X. Quæſt. VI. *An ſi ipſi contrahentes, vel unus eorum, conſcii ſint alicujus impedimenti occulti, teneantur illud manifeſtare, etiamſi infamia inde proficiſceretur?* Reſp. Sententia affirmans communis eſt. Quandoquidem licet nemo etiam interrogatus teneatur crimen ſuum occultum detegere, niſi præcedat ſemiplena probatio, quando agitur de pœna tali crimini impoſita ſubeunda; tamen quando Parochus, ſeu Superior interrogat de impedimento matrimonii, Ordinis, aut electionis quiſque talia manifeſtare impedimenta obſtringitur.

XI. Quæſt. VII. *Quomodo ſe gerere Parochus debet, cui aliquod impedimentum revelatum eſt?* Reſp. Debet omni meliori modo matrimonium impedire, illi non aſſiſtendo, & monendo conjuges ut deſiſtant. Ipſe tamen tribunal erigere nequit, & inquirere, num impedimentum ſit rite nec ne probatum &c. Sed hoc judicium ad Epiſcopum pertinet, ad quem deferri cauſſa debet. Quare ſi Parochus ſolus conſcius ſit alicujus impedimenti occulti, manifeſtare illud Epiſcopo debet ut teſtis. Si ſolus Ordinarius ſciat occultum impedimentum, poteſt & debet matrimonium impedire, ſive publice, ſive ſecreto petatur: quia licet judex in judicio nequeat ex privata ſcientia agere, quando eſt in pœnam & damnum rei; poteſt tamen privata ſcientia uti, quando eſt in partis favorem. Accedit quod Epiſcopus poſſet deferre impedimentum ad Superiorem.

XII. Quæſt. VIII. *Quid requiritur ut Epiſcopus poſſit repellere a matrimonio contrahentes?* Reſp. Pontius cum aliis contendit, neceſſariam eſſe aut partis confeſſionem, aut probationem per duos teſtes impedimenti quod opponitur. Verum communior, & probabilior ſententia docet, ſufficere unum teſtem omni exceptione majorem, qui ex certa ſcientia cum juramento deponat impedimentum. Quia, ut dictum eſt, licet duo teſtes in aliis materiis requirantur, in hac tamen cauſſa unus ſufficit: quia de bono ſpirituali ipſius partis agitur.

XIII. Quæſt. IX. *Peccant ne conjuges, ſi conſummant matrimonium ante benedictionem nuptialem?* Reſp. Negant Salmanticenſes, Sanchez, Dicaſtillo, Viva *quæſt.* IV. *art.* 5. *n.* 6. & plures alii recentiores: quia, inquiunt, hæc benedictio ſolemnis quæ in Eccleſia datur, non eſt res adeo gravis, ut illius omiſſio reputari gravis debeat. Hoc autem probant auctoritate Tridentini *ſeſſ.* XXIV. *cap.* 1. inquientis: *Hortatur ſancta Synodus ut conjuges ante benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam, in eadem domo non cohabitent.* Hæc Tridentini verba inepte obtruduntur a P. Viva, Sanchez, & aliis. Quid? Hæc verba, *in eadem domo non cohabitent*, ſignificant non ſe recognoſcant, non coeant? Quando Concilium vult exprimere coitum conjugalem, bis in hoc ipſo decreto utitur verbo *conſummationis*. Quid quod paullo poſt oppoſita verba ſubdit Concilium? *Conjuges hortatur ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante matrimonii conſummationem, ſua peccata diligenter confiteantur* &c. Concilium ergo ſupra hortatur *ne in eadem domo cohabitent*, ob periculum ſcilicet conſummandi matrimonium ante benedictionem nuptiarum in Eccleſia faciendam. Huc adhortatio pertinet. Hæc benedictio levis momenti eſt inquit P. Viva cum aliis. Quo fundamento id aſſerit? Quia Sanchez, & alii Auctores ita docent. At oppoſitum Patres docere, ſupra oſtenſum eſt. Aliqua nunc obiter addam. De hac benedictione Siricius in epiſtola ad Himerium c. IV. hæc habet. *Illa benedictio quam nupturæ Sacerdos imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſione violetur.* Et Hormiſda Papa in *II. Part. Decret. cauſ.* XXX. *q.* 1. *c.* 11. hæc præſcribit. *Nullus fidelis cujuſcumque conditionis ſit, occulte nuptias faciat; ſed benedictione accepta a Sacerdote, publice nubat in Domino.* Audi Concilium Carthaginenſe IV. relatum loc. cit. cap. V. *Sponſus, & ſponſa, cum benedicendi ſunt a*





Sa-

*Sacerdote, a parentibus, vel a paranymphis efferantur, qui cum acceperint benedictionem, eadem nocte pro reverentia ipſius benedictionis in virginitate permaneant.* Sic loquuntur Pontifices, Concilia, & Patres, quorum teſtimonia ſupra retuli.

XIV. Ut, data occaſione, lectores moneam, quam diſtet a Patrum SS. doctrina plurium recentiorum modus opinandi in ipſa re ſacramentaria, perpende quæ ſcribit P. Viva *q. IV. n. 6.* „ Benedictio nuptiarum *non videtur eſſe res gravis, nec VALDE CONGRUENS PROCESSUI MATRIMONII.* Etenim benedictio nuptialis non eſt ſacramentum, ſed quoddam ſacramentale; nec tanti momenti, quanti ſacramentalia quæ baptiſmo præmittuntur. Quamvis autem non vacet culpa veniali, illam ſimpliciter omittere ſine ulla cauſſa contra uſum & conſuetudinem Eccleſiæ; nihilominus *probabile* eſt nullam eſſe culpam, ex juſta cauſſa, videlicet ratione temporis feriati, in Adventu, aut Quadrageſima conſummare matrimonium ante benedictionem Eccleſiæ; cum videatur eſſe conſilium, non præceptum illam præmittere."

XV. Quis hæc legere poteſt, & cum SS. Patrum, atque Conciliorum doctrina comparare, quin zelo chriſtianæ diſciplinæ ſuccendatur? Sacra Paſtorum benedictio non eſt *valde congruens progreſſui matrimonii?* Nihil ne piarum aurium offenſionis in his verbis continetur? Matrimonium Chriſtianorum ſacramentum eſt; & benedictio Sacerdotum non eſt valde congruens?

XVI. Peccant igitur, & quidem mortaliter, qui ante hanc benedictionem matrimonium conſummant; quidquid in oppoſitum aſſerant recentiores nonnulli contra univerſam Eccleſiæ antiquitatem. Tanti enim ſemper fecere Patres hanc benedictionem, ut ſacrilegos dixerint illos qui hanc omittunt. Quid? quod Concilium Tridentinum inquit: *Statuitque benedictionem a proprio Parocho fieri, neque a quoquam, niſi ab ipſo Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam alii Sacerdoti concedi poſſe.* Si quis alius Sacerdos, ſubdit Concilium, *benedicere auſus fuerit, ipſo iure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu &c.* Et P. Viva, cum aliis junioribus hanc benedictionem a ſolo Parocho, vel a ſolo Sacerdote, & de licentia Parochi pronuntiandam, parvi eſſe momenti aſſerere auſit? Quid quod vel penes ipſos Hebræos nuptiæ a Sacerdote benedicuntur? Immo Alexandrini apud Photium *cod.* 242. legitimas nuptias negabant, quibus Iſidis Sacerdos non benedixiſſet. Lege plura hac de re apud Martene *Lib. I. antiq. Rituum cap. IX. art. X.*

XVII. Quæſt. X. *Quomodo ſe gerere debent contrahentes, ſi agnoſcentes impedimentum abſque ſcandalo nequeunt a matrimonio deſiſtere?* Reſp. Aliqui docent, contrahendum eſſe matrimonium ſub conditione, ſi Papa diſpenſaverit: & quamvis, inquit P. Viva *loc. cit. n. 5.* exponant ſe coniuges periculo fornicationis; excuſantur tamen ob cauſſam vitandi ſcandali. Quæ opinio reiicienda omnino eſt. Scandalum hoc quod obtruditur, frequentiſſime commentitium eſt, vix umquam occurrit, quin poſſit vero remedio tolli. Quamobrem ſuggerunt alii, quibus accedit ipſe P. Viva, ut vir votum caſtitatis ad tempus edat, donec diſpenſatio ſuper impedimento obtenta fuerit. Quando Parochus, vel Confeſſarius prudens erit, perraro, & vix umquam occurret ſcandalum tale, quod non queat prudenter auferri, ut alibi oſtendi.

# DISSERTATIO III.

## *DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS, ET IMPEDIENTIBUS, ATQUE DE DISPENSATIONE AB IISDEM.*

### CAPUT I.

*De poteſtate Eccleſiæ, & Principum ſæcularium in conſtituendis impedimentis quæ matrimonium irritent.*

I. Duplex impedimentorum genus. Alia ſunt quæ illicitum, alia quæ irritum matrimonium efficiunt. Priora impedientia, poſteriora dirimentia vocantur. De omnibus ſigillatim infra ſermo erit in præſentia de poteſtate ſtatuendi eiuſmodi impedimenta.

II. Quæſt. I. *An Eccleſia poteſtatem habeat ſtatuendi impedimenta quæ matrimonium dirimant?* Reſp. Negant Lutherus, Calvinus, Marcus Antonius de Dominis Apoſtata, & communiter Novatores: quorum errorem Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *can.* IV. confixit. *Si quis dixerit, Eccleſiam non potuiſſe conſtituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis conſtituendis erraſſe; anathema ſit.* Rurſus can. XII. *Si quis dixerit, cauſſas matrimoniales non ſpectare ad iudices eccleſiaſticos, anathema ſit.*

III. Launoius, audacis & impotentis ingenii homo, in ſuo *de regia in matrimonium poteſtate* tractatu eludere non dubitavit Tridentinos canones, effatiens, per *Eccleſiam* intelligi debere Reges & Principes, quorum nomine impedimenta Eccleſia indicit. Errores Launoii plures doctrina, & eruditione præſtantes Theologi refutarunt, præſertim Joannes Gerbais, Duamel, Turnely, Le-Droint, & alii.

IV. Ad propoſitam igitur quæſtionem reſpondent Catholici omnes, adfirmantes, Eccleſiam iure præditam eſſe & poteſtate ſtatuendi impedimenta matrimonium dirimentia. Et principio, ſemel admiſſo, quod matrimonium ſit ſacramentum, neceſſario conſequitur, illius adminiſtrationem, cauſſas quæ eidem obſtant, & impedimenta dignoſcere, & iudicare ad Eccleſiam pertinere. Quid quod hac hypotheſi admiſſa, neque ipſi Novatores conſequentiam negare audent, immo illam vel ipſe Calvinus *Lib. IV. inſtit. cap.* XIX. §. 38. fatetur? *Ubi enim id ſemel*, inquit *obtinuere* (ſcilicet matrimonium eſſe ſacramentum) *coniugalium cauſſarum cognitionem ad ſe traxerunt: quippe res ſpiritualis erat profanis iudicibus non attrectanda.* Quare Launoius, cum Catholicis matrimonium ſacramentum adſirmans, præ hæreticis ipſis inſanit, dum Eccleſiæ poteſtatem adimit in matrimonii cauſſis dignoſcendis, & impedimentis conſtituendis.

V. Pluſima argumenta Theologi tum ex Evangelio, tum ex conſtanti traditione hauſta, in medium adducunt, quibus hanc Eccleſiæ poteſtatem evincunt. Nam Chriſtus *Matth.* XIX. ligaminis impedimentum conſtituit, cum polygamiam ſimultaneam, & libellum repudii abrogaverit. S. Paulus *I. Cor.* VII. impedimentum dirimens edocuit, ſitum in cultus diſparitate, quo ab infideli coniuge contradicente recedere permittit, inquiens: *Si infidelis diſcedit, diſcedat: non enim ſervituti ſubiectus eſt frater, aut ſoror in huiuſmodi.* Deinde producunt antiquam, & non interruptam Eccleſiæ conſuetudinem & praxim, qua diverſis temporibus Concilia impedimenta ſtatuerunt. Nam *can.* XV. & XVII. Concilii Eliberitani, & *can.* II. Concilii Neocæſarienſis, & *can.* VI. *epiſt.* S. Baſilii ad Amphilochium impedimenta ſtatuta leguntur. Reponit Launoius, Eccleſiam hoc egiſſe ex indulgentia & conceſſione Imperatorum, vel ex uſurpatione poteſtatis. Verum audax, & temerarium commentum ſeipſo dehiſcit. Quid? Imperatores ethnici Patribus Elibertanis induſiere, ut leges pro matrimonii diſciplina conderent? Eccleſia Principum uſurpavit poteſtatem, ſi cum ſuo divino ſponſo Chriſto iubet ut quæ ſunt Cæſaris, Cæſari reddantur, & quæ ſunt Dei, Deo? Quandonam Principes obiecere Eccleſiæ hanc poteſtatis uſurpationem? Plurima documenta quæ in huius veritatis confirmationem adducere Theologi ſolent, brevitatis cauſſa prætereo, cum ſint omnibus obvia.

IV. Eccleſia, inquit S. Thomas in *Supp. quæſt.* L. *artic.* I. & *IV. contr. Gent. cap.* LXXVIII. poteſtatem habet regendi populum chriſtianum in iis omnibus quæ illius bono ſpirituali, paci, & tranquillitati conducunt. Sed in hunc finem pleruimam ſæpe confert quod impedimenta, & leges præſcribantur pro legitimis matrimoniis conferendis. Matrimonium enim non modo ſacramentum, ſed etiam contractus humanus & civilis eſt, qui pro temporum, & perſonarum diverſitate poſtulat ut tali, & non alio modo fiat, ut patet in matrimonio clandeſtino, quod Eccleſia primum prohibuit, deinde, creſcente hominum malitia, penitus irritavit.

VII. Quæſt. II. *An Principes ſæculares poteſtate ſibi propria potiantur ſtatuendi impedimenta dirimentia matrimonium ut contractum civilem?* Reſp. Duplex eſt circa propoſitam quæſtionem Theologorum ſententia. Prima contendit, nullam ineſſe Principibus laicis poteſtatem ſtatuendi impedimenta quæ dirimant matrimonium, ex quo ad ſacramenti dignitatem a Chriſto evectum eſt. Hanc ſententiam defendunt Baſilius Pontius, Caſtropalaus, Dominicus Soto, Paludanus, Vaſquez, & alii.

VIII. Contrariam ſententiam adfirmantem defendit S. Thomas *Lib. IV. contr. Gent. cap.* LXXVIII., & in *IV. diſt.* XXXIV. *art.* I. *ad* 4. & in *Suppl. qu.* L. *art.* I. *ad* 4. cui ſubſcribunt communiter Theologi. Evincit autem S. Thomas hac ratione ſententiam ſuam. *Perſonæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo quod ſunt contra legem qua matrimonium ſtatuitur. Matrimonium autem in quantum eſt in officium naturæ, ſtatuitur*

*lege naturæ; in quantum eſt ſacramentum, ſtatuitur iure divino; in quantum eſt in officium communitatis, ſtatuitur lege civili.* Hæc habet in *Supplemento*. Contra Gentes vero *loc. cit.* hæc ſubdit. *Matrimonium, quatenus ordinatur ad bonum naturæ, quod eſt perpetuitas ſpeciei, dirigitur in finem a natura inclinante in hunc finem: & ſic dicitur eſſe naturæ officium. In quantum vero ordinatur ad bonum politicum, ſubiacet ordinationi legis civilis. In quantum autem ordinatur ad bonum Eccleſiæ, oportet quod ſubiaceat regimini eccleſiaſtico.*

IX. In ſenſu huius ſententiæ exponendo diſſident, ac in varias partes Theologi dividuntur. Nam alii docent, Principes poſſe ſuis edictis irritare matrimonium, ut contractum civilem, & quantum ad effectus civiles, & politicos exheredationis, ſucceſſionis &c. ſecus penes res ſpirituales, & ſacramentum. Alii contendunt, irritato matrimonio, ut contractu civili, per accidens & indirecte conſequi, nullum eſſe ut ſacramentum. Alii cum Sanchez *Lib. VII. diſp.* III. defendunt, poſſe quidem Principes ſuis legibus impedimenta dirimentia indicere, ſed illius poteſtatis uſum ſibi Eccleſiam reſervaſſe. His variis dicendi modis implicant magis quam illuſtrent controverſiam illam.

X. In exponenda & enucleanda hac controverſia omnibus, ut mihi videtur, palmam præripuit graviſſimus Theologus P. Petrus Soto, qui Tridentino interfuit. Lubet eiuſdem verba, tametſi aliquantulum prolixa, ex *Tr. IV. de matr.* tranſcribere. „ B. Thomas intrepide aſſerit, iura ipſa civilia, & Imperatorum leges illegitimos aliquos reddere ad contrahendum, ita videlicet ut nullum ſit matrimonium; neque negant hoc alii, quamquam non ita aperte aſſerant. Et certe hoc eſt ſolidiſſime fundatum in illo verbo Evangelii: *quod Deus coniunxit, homo non ſeparet*. Deus enim per cauſſas naturales, & ordinatas humanos contractus perficit, hoc eſt auctoritate legum, ſicut naturales res per cauſſas naturales. Non itaque Deus coniungit quod contra iuſtas leges humanas coniungitur. Hoc dicimus, quoniam Iuriſtis multis viſum eſt, non eſſe poteſtatis ſecularium legum matrimonium nullum reddere, ſed tantum eccleſiaſticarum. Iuriſtæ nulla auctoritate iuris divini, aut canonici hoc probant, nec etiam ratione ulla efficaci: nec advertunt, nihil hoc derogare auctoritati eccleſiaſticæ, ſed potius conducere Eccleſiæ paci. Si enim ius ipſum divinum permittit prohiberi ab Eccleſia quod ipſum non prohibet: quare Eccleſia non permittet ſeculari poteſtati prohibere circa matrimonium quod ipſa non prohibet? Fatemur igitur civiles leges non poſſe licitum matrimonium facere quod eccleſiaſticæ illicitum reddunt; ſicut nec eccleſiaſticæ leges approbare quod divinum ius reprobat: hoc enim erat inferiorem ſuperiori contradicere. Verum quod eccleſiaſticæ leges non prohibent, cur ſeculares prohibere non poterunt; ſicut quod non prohibet ius divinum, prohibent eccleſiaſticæ? Nec debent Prælati Eccleſiæ gravate ſuſcipere, ſi quod temporali paci viderint neceſſarium, ſeculares Principes ſtatuant. Nec eſt cur illis ſe opponant: ſed permittant potius matrimonium legibus humanis ordinandum, cum officium humanum ſit: & addant poſtea ipſi, ſi videbitur, quod ad bonum religionis pertinet. Quamquam leges civiles in his omnibus ex pietate certe, & voluntate Principum facile ceſſerint Eccleſiæ, ut iam nullum cenſeatur matrimonium illegitimum quod Eccleſia tale non iudicat; non tamen propterea vel legi, vel conſuetudini Reipublicæ hoc auferendum eſt, ut illegitimos aliquos reddere, ſi velint, poſſint; ſed potius, ſi opus foret, confirmandum eſſet ab Eccleſia. Civilia iura illegitimum iudicant matrimonium inter tutorem, & curatorem, vel filium eis, & pupillam ... at derogatum videtur his legibus per contrariam conſuetudinem, quæ tamen non videtur minima ratione, & neceſſitate hoc ſtatuiſſe. Si itaque denuo hoc videretur ſtatuendum, non eſt cur hæc auctoritas auferatur a ſæcularibus Principibus, qui de matrimonio, non quidem ut eſt ſacramentum, ſed ut officium eſt neceſſarium Reipublicæ, ſtatuunt, quod tamen ſacramentum præexquirit.

XI. Nihil enucleatius & luculentius in hac cauſſa dici poſſe videtur. Hinc enim ſolutum manet argumentum quod in hac materia faceſſere aliquod negotium poſſet.

XII. Opponunt ſiquidem, non poſſe admitti in Principibus eiuſmodi poteſtatem circa contractum civilem, quin ſimul concedatur circa ſacramentum: quia contractus civilis eſt eſſentialis materia ſacramenti; qua ſublata, tollitur ipſum ſacramentum. Soluta ex iis quæ dicta ſunt, remanet oppoſitio iſthæc. Nam, admiſſa hypotheſi, qua civilis poteſtas ſtatuat impedimentum dirimens matrimonium, aut conſentiet Eccleſia, aut diſſentiet.



Si primum matrimonium irritum erit auctoritate, non civili, ſed eccleſiaſtica, quæ ſuo conſenſu legem civilem adoptat. Si ſecundum, Eccleſia pro materia matrimonii non talem contractum civilem, ſed contractum naturalem aſſumit pro materia ſacramenti: ſicuti in hypotheſi quod Princeps politicus ederet legem iniuſtam, irritantem civilem contractum coniugalem, Eccleſia improbaret eiuſmodi contractum iniquum, ut materiam eſſentialem ſacramenti, & aſſumeret contractum iuri naturali contentaneum.

XIII. Miſſis igitur ſpeculationibus, pro practica directione animadvertendum eſt, duas has poteſtates, eccleſiaſticam, & politicam, ita eſſe a Deo ordinatas, ut mutuo ſe ſuvent, firmentque. Sunt enim & eccleſiaſtici, & politici Principes chriſtiani. Porro IV. *Epheſ.* inquit Paulus: *Ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram uniuſcuiuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in caritate.* Eccleſia obedientiam, & reverentiam præſtandam legibus civilibus iubet. Apoſtoli leges Imperatorum ethnicorum, non pugnantes cum Evangelio, admiſere. Similiter Principes chriſtiani, ſcientes matrimonium in lege evangelica eſſe ſacramentum, atque adeo ſancte tractandum, curant ut in iis quæ nuptias ſpectant, ſacri canones obſerventur. Sic Carolus Magnus in ſuis capitularibus circa nuptias a ſacris canonibus præſidium repetit. Sic Oratores Galli in Concilio Tridentino a Patribus nomine Caroli IX. poſtularunt, ut Patres Tridentini ſtatuerent, irrita matrimonia clandeſtina, & ea quæ filiifamilias, inſciis invitiſque parentibus, contraherent. Sic Oratores Veneti poſtularunt moderationem canonis circa indiſſolubilitatem matrimonii adulterii cauſſa, ne offenderentur Græci. Innumera alia exempla produci ſolent, quibus utriuſque poteſtatis, eccleſiaſticæ, & civilis, concordia confirmatur. Hinc, omnibus Principibus catholicis conſentientibus, cauſſæ matrimoniales ad forum eccleſiaſticum attinent. Quæ vero extrinſecæ omnino ſunt matrimonio, ut cauſſæ dotis, hereditatis &c. foro ſeculari relictæ ſunt.

XIV. Quæſt. III. *Penes quos reſideat poteſtas eccleſiaſtica ſtatuendi impedimenta dirimentia matrimonium?* Reſp. Duplex hac de quæſtione, ſi ius ſpectetur, ſententia. Prima aſſerit, hanc poteſtatem reſidere penes ſummum Pontificem, & Concilia generalia reſpectu univerſæ Eccleſiæ; & penes Epiſcopos reſpectu propriæ diœceſis. Hanc defendunt Soto *Lib. X. de iuſt. quæſt.* II. *art.* 3. *ad* 2. & in *IV. diſt.* XXVII. *quæſt.* I. *art.* 4. Arago. 2. 2. *qu.* LXXXVIII. *art.* 12. & alii: quia, inquiunt, Epiſcopi plene ſunt in ſua diœceſi Paſtores, licet ſubiecti ſummo Pontifici; & a Deo poteſtatem acceperunt regendi oves ſuas; ergo quod poteſt Pontifex ſummus in univerſa Eccleſia, poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi. Poterit ergo, inquiunt, Epiſcopus impedimenta dirimentia ſtatuere, quando id bono ovium ſuarum regimini conſentaneum iudicaverit. Altera ſententia negat, eamque plures Auctores defendunt: quorum aliqui docent, Epiſcopos non a Deo, ſed a Romano Pontifice iuriſdictionem accipere: alii contendunt, Epiſcopos a Deo immediate iuriſdictionem accipere, non tamen circa res arduas & difficiles. Ut ut res ſe ſe habeat de his duabus ſententiis, hoc certum eſt, hanc poteſtatem reipſa a ſolis Romanis Pontificibus, & Conciliis œcumenicis exerceri, eiuſque uſu nunc carere Epiſcopi.

XV. Quæſt. IV. *Impedimentis dirimentibus ab Eccleſia præſcriptis ſubiacent ne infideles?* Reſp. Infideles qui Principibus infidelibus ſubditi ſunt, nullo modo ſubiacent impedimentis eccleſiaſticis. Quid deſtant in provinciis Romano Pontifici temporaliter ſubiectis, ſicut parere debent aliis legibus illius principatus circa quoſcumque contractus, ita matrimonia contrahere tenentur iuxta leges ibidem præſcriptas, & impedimenta dirimentia ſervare. Infideles demum qui vivunt in locis non Romano Pontifici, ſed Principibus chriſtianis temporaliter ſubditis, cum non ſint nec quoad ſpiritualia, nec quoad temporalia ſubiecti Romano Pontifici, non obſtringuntur legibus eccleſiaſticis.

## CAPUT II.

*De impedimentis dirimentibus ſigillatim ſumptis.*

IMpedimenta dirimentia quindecim poſt Concilium Tridentinum numerari ſolent, his verſibus contenta.

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultus diſparitas, vis, Ordo, ligamen, honeſtas,*
*Amens, affinis, ſi clandeſtinus, & impos,*
*Si mulier ſit rapta, loco nec reddita tuto.*
*Hæc facienda vetant connubia, facta retractant*

§. I.

§. I.

*De impedimento erroris.*

I. QUæſt. I. *An error perſonæ dirimat iure naturæ matrimonium?* Reſp. Error duplex. Alter perſonæ, quo una pro altera accipitur, puta Lia pro Rachele. Qualitatis alter, qui circa accidentia verſatur; ut ſi credas puellam nobilem, divitem, virginem, vetulam, unicam heredem, primogenitam; quæ tamen his dotibus deſtituta ſit. Primus error iure naturæ matrimonium irritat: quia error adimit conſenſum, quo ſublato, nullus contractus validus eſt. Quamobrem matrimonium Iacob cum Lia nullum fuit: quia non in Liam, ſed in Rachelem conſenſit. *Conſenſus*, inquit S. Thomas in Suppl. qu. l. art. 1. *eſt cauſſa matrimonii, ut dictum eſt; & ideo quod evacuat conſenſum, evacuat matrimonium.* Matrimonium Iacob cum Lia evaſit validum per conſenſum ſubſequentem.

II. In hoc a ceteris ſacramentis, & contractibus matrimonium diſcrepat, quod in illis perſonæ qualitas extrinſeca omnino ſit. Quid enim refert quod baptizandus ſit hic aut ille; quod venditor, quod emptor ſit Petrus, aut Sempronius? In matrimonio vero fit corporum traditio mutua: idcirco perſonæ qualitas ad contractus ſubſtantiam attinet. Sicut enim in contractum emptionis & venditionis iuſtitia ſpectat æqualitatem rei ad pretium, & rei venalis ad uſum, & commodum, quibus extranea prorſus eſt perſonæ qualitas; ita e contrario contractus coniugii directe reſpicit in unam coeuntes ſocietatem. Ergo error perſonæ iure naturali matrimonium dirimit.

III. Quæſt. II. *An ſolus error antecedens matrimonium dirimat?* Reſp. Error antecedens eſt qui dat cauſſam contractui, ut dum quis intendit ducere Liam, paratus non contrahere cum Rachele, quæ illi loco Liæ præſentatur, & quacum contrahit; ſed ſi illam agnoſceret, non contraheret. Error concomitans, ſeu incidens eſt qui non dat cauſſam contractui, ſed illum comitatur; ut ſi quis duceret Liam, putans ſe ducere Rachelem, ita tamen diſpoſitus, ut ipſam Liam duceret, ſi eam agnoſceret. Probabilior ſententia affirmat, hunc etiam errorem concomitantem matrimonium irritare. Quandoquidem & error iſte actualem conſenſum aufert. Licet enim conſentiret ducere Liam, ſi eam agnoſceret; reipſa tamen non conſentit, cum eam non cognoſcat. Porro ad matrimonium non ſufficit habitualis conſenſus, aut interpretativus, ſed actualis requiritur. Hinc error concomitans, quamquam non efficiat actum poſitive involuntarium, efficit tamen involuntarium negative, quatenus impedit actualem conſenſum, ut Angelicus 2. 2. *quæſt.* VI. *art.* 8. docet.

IV. Quæſt. III. *An error ſive antecedens, ſive concomitans circa qualitates accidentarias perſonæ matrimonium dirimat?* Reſp. Probabilior ſententia eſt negativa abſolute loquendo. De errore concomitanti vix eſt inter Auctores diſſidium. Si quis ducat Bertam, quam putabat nobilem, divitem, incorruptam, validum eſt matrimonium; licet eam inveniat ex errore concomitanti pauperem, ignobilem, corruptam: quia conſenſus voluntarius in perſonam plenus eſt; neque error concomitans aliquo modo talem vitiavit conſenſum. De errore antecedenti difficultas eſt. Communior ſententia defendit, errorem antecedentem circa divitias, nobilitatem, virginitatem non irritare matrimonium: quia error eſt circa accidentalia, non circa eſſentiam & ſubſtantiam matrimonii: conſenſit enim in hanc perſonam, licet non conſenſiſſet, ſi eam pauperem, plebeiam &c. agnoviſſet. Aliud eſt *nolui*, ut Auctores communiter advertunt, aliud *noluiſſem*. Illud, non hoc conſenſum tollit. Alioquin vix ullus contractus eſſet validus; cum paſſim plura lateant, quæ ſi comperta fuiſſent, contractus non fuiſſet peractus. Si tamen error ita eſſet antecedens, ut daret cauſſam contractui, tum dubio procul matrimonium dirimeret: quia tunc error ille refunderetur in ipſam perſonam; quando contrahens extrinſecus declarat, ita ſe velle contrahere cum divite, nobili, virgine &c. ut ſi illæ conditiones deſint, nolit matrimonium: quia tunc ſuſpenſus hæreret conſenſus his conditionibus illigatus. Niſi tamen contrahens exprimat ſe huic conditioni divitiarum, nobilitatis, virginitatis &c. velle conſenſum ſuum illigare, ſed abſolute contrahat, licet cum errore antecedenti circa præfatas qualitates matrimonium validum erit. Accipe caſum, qui rem explicat. Vagus ſe nobilem fingit, divitemque nobili puellæ, utpote formoſulæ, & optimo ingenio præditus. Suæ nobilitatis, & divitiarum teſtimonia falſa perhibet. Celebrantur nuptiæ, & continuo apparent omnia falſa. Validum eſt matrimonium, quia contractus abſolute celebratus fuit. Et licet error fuerit antecedens contractui, ac cauſſam dederit; quia tamen error fuit circa qualitates acci-



accidentales, non circa ſubſtantiam matrimonii, contractus validus eſt. Puella enim abſolute, & nulla adiecta conditione, in talem virum conſenſit. Ad valorem autem matrimonii ſufficit conſenſus voluntarius in ea quæ ſunt de ſubſtantia contractus. Porro ſolæ perſonæ quæ mutuo conſenſu voluntario copulantur, ad ſubſtantiam contractus attinent. Solum ergo tunc matrimonium nullum eſſet, quando qualitates ſub expreſſa conditione adiicerentur contractui: quia tunc conſenſus ab eiuſmodi conditionibus penderet. Et quiſque dominus ſuæ voluntatis eſt, eamque reſtringere, & extendere pro arbitrio poteſt.

V. S. Thomas in *Suppl. qu.* li. *art.* 2. *ad* 5. explicat, quando qualitas perſonam ipſam afficiat. *Error nobilitatis, inquantum huiuſmodi, non evacuat matrimonium eadem ratione qua nec error qualitatis; ſed ſi error nobilitatis, vel dignitatis redundat in errorem perſonæ, tunc impedit matrimonium. Unde ſi conſenſus mulieris feratur in iſtam perſonam directe, error nobilitatis ipſius non impedit matrimonium; ſi autem directe intendit conſentire in filium Regis, quicumque ille ſit, tunc ſi alius præſentaretur ei quam filius Regis, eſt error perſonæ, & impeditur matrimonium.*

VI. Opponunt. Si quis donet titulo paupertatis, vel conſanguinitatis, donatio nulla eſt, deficiente paupertate, vel conſanguinitate: & donatarii reſtitutioni obnoxii ſunt. Ergo idem dicendum de matrimonio. Reſp. Negatur conſequentia. Diſcriminis ratio evidens eſt. Paupertas, vel conſanguinitas ſunt cauſſa finalis, & principaliter impellens donatorem, ipſamque donationis ſubſtantiam afficiunt. Cauſſa finalis matrimonii eſt propagatio humani generis, non nobilitatis, aut divitiarum.

§. II.

*De impedimento conditionis.*

I. QUæſt. I. *Quid nomine conditionis intelligatur?* Reſp. Conditio ſervitutis ſtatum prodit. Servi ſunt proprie tales, quorum poſſeſſor habet abſolutum dominium eoſdem vendendi, locandi, occupandi &c. & iſti dicuntur etiam *mancipia*. Alii vocantur ſervi adſcriptitii, qui locant operas ſuas domino vel ad colendum agrum, vel ad aliud opus præſtandum. De eiuſmodi ſervis, cum abſolute liberi ſint, nullus in præſentia ſermo nobis eſt.

II. Quæſt. II. *An error ſervitutis matrimonium dirimat iure naturali, nedum eccleſiaſtico, & civili?* Reſp. Duas habet propoſita quæſtio partes. Prima eſt, an ſervitutis error matrimonium irritet? Et affirmant omnes: quandoquidem liber, contrahens cum ſervo coniuge, fit deterioris conditionis. Hinc ſi perſona quæ eſt libera, ducat illam quam putat eſſe ſervam, quæ tamen libera eſt; aut ſi quæ ſerva eſt, ducat aliam quam credit eſſe ſervam, quæ tamen libera eſt, conſiſtit matrimonium: quia in his caſibus conditio contrahentis non fit deterior; ut ſapienter S. Thomas in *Suppl. quæſt.* lii. *art.* 1. *ad* 5. advertit. *Unde libertas ignorata non impedit matrimonium.* Similiter ſi perſona quæ ſerva eſt, ducat aliam quam credit eſſe liberam, quæ tamen ſerva eſt, valet matrimonium: quia talis error non efficit conditionem deteriorem. *Quia* (inquit ibidem S. Thomas ad 1.) *in matrimonio eſt æqualis obligatio ex utraque parte ad debitum reddendum; non poteſt aliquis requirere maiorem obligationem ex parte alterius quam ipſe poſſit facere. Et propter hoc etiam ſi ſervus contrahit cum ancilla, quam credit liberam, non propter hoc impeditur matrimonium.* Si perſona libera ducat ſervam, quam talem agnoſcit, matrimonium ratum eſt: quia tum contrahens renuntiat iuri ſuo. Conſequitur ergo, errorem conditionis, quo perſona libera contrahit cum ſerva, putans eſſe liberam, matrimonium dirimere: quoniam deterior tunc fit contrahentis conditio.

III. Ad ſecundam partem quod attinet, Sanchez, Palaus, Candidus, Perez, Trullench, & alii, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *tract.* IX. *cap.* XVI. *punct.* 1. *n.* 5. defendunt, ſolo iure civili, & eccleſiaſtico conditionis errorem matrimonium dirimere. Mihi probabilior ſententia eſt impedimentum ex errore ſervitutis ignoratæ ab ipſo iure naturali proficiſci, a iure vero poſitivo determinari; ut S. Thomas in *Suppl. quæſt.* lii. *art.* 1. *ad* 3. docet his verbis: *Ius naturale dictat, quod pœna ſit pro culpa infligenda, & quod nullus ſine culpa puniri debeat: ſed determinare pœnam ſecundum conditionem perſonæ, & culpæ, eſt iuris poſitivi. Et ideo ſervitus, quæ eſt quædam pœna determinata, eſt de iure poſitivo, & a naturali proficiſcitur, ſicut determinatum ab indeterminato: & eodem iure poſitivo determinante eſt factum quod ſervitus ignorata matrimonium impediat, ne aliquis ſine culpa puniatur. Eſt enim quædam pœna uxoris quod habeat virum ſervum, & e converſo.* Servus enim

nim ſubiectum habet corpus ſuum domini poteſtati: ergo tradere illud alteri nequit; quemadmodum perſona libera ſuum corpus ſubiicit alterius coniugis dominio. Hæc itaque ſervitutis conditio perſonam ipſam afficit, & inæqualitatem inducit in ipſam debiti redditionem. Neque hinc ſequitur, etiam cognita ſervitute, fore nullum matrimonium liberi cum ſerva. Ineptiſſima enim eſt conſequentia hæc. Quoniam, ſublato errore, auffertur impedimentum, & conſenſus liber omnino evadit.

IV. Quæſt. III. *Qui ignorans, ducit ſervam, ſi cognita ſervitute, eam carnaliter cognoſcit, validum ne matrimonium eſt?* Reſp. Validum haberi hoc matrimonium, Alexander III. *de coniugio ſervorum cap.* 1. conſultus decrevit, *Mandamus, quatenus, ſi conſtiterit quod idem vir præfatam mulierem, poſtquam illam audivit eſſe ancillam, carnaliter cognovit, ipſum, monitione præmiſſa, compellas, ut eam ſicut uxorem maritali affectione pertractet.* Dum quippe carnali copula eam cognoſcit, renunciat iuri ſuo. Renovari tamen conſenſus debet coram Parocho & teſtibus.

V. Quæſt. IV. *Si ſervitutis error ſit craſſus, dirimit ne matrimonium?* Reſp. Affirmant Salmanticenſes *loc. cit. num.* 28. ubi citant Sanchez, Coninch, & alios. Alii negant: quia hæc matrimonia prohibentur propter deceptionem, & damnum, ſeu iniuriam contrahentis. Quando autem error liberi contrahentis eſt craſſus & ſupinus, atque adeo vincibilis, deceptio tota eſt voluntaria, ipſeque iniuriam pati vult; cum ignorantia craſſa æquivaleat ſcientiæ, aut levi timori. Numquid eiuſmodi contrahens opponere poſſet, ſe eſſe deceptum, aut detrimentum coacte ſubiiſſe?

VI. Quando liber cum ancilla per errorem contraxit, & iniuriam paſſus eſt, libere propria auctoritate recedere valet, niſi ſequatur ſcandalum; ut ſequeretur, ſi matrimonium eſſet publicum: ideo tunc ſeparatio Eccleſiæ iudicio fieri debet. Non ſolum liber, ſed etiam ſervus coniux recedere poteſt: quia, cum matrimonium ſit nullum, utraque pars libera manet. Quid, ſi pars libera, cognita ſervitute, redintegrare matrimonium velit? Si perſona ſerva, inquiunt plures, bona fide contraxit, neque decepit liberam partem; non tenetur matrimonium renovare: ſi vero fraudulenter decepit liberum coniugem, tunc non ratione contractus, qui nullus fuit, ſed ratione iniuriæ illatæ tenetur conſentire libero coniugi contrahere volenti. Servitus, matrimonio rato ſuperveniens, illud non dirimit. Quod enim ſemel valuit, ſemper valet in hac materia.

VII. Tres ſunt caſus in quibus iura diſponunt, ſervum per matrimonium libertatem nanciſci. 1. eſt, cum dominus dotem conſtituit ancillæ. 2. quando dominus ancillam in coniugem recipit, aut domina ſervum. 3. eſt, quando dominus tradit ſervum, aut ancillam libero, ignoranti talem ſervitutem; aut ſi ipſe non tradat, conſentit tamen, nec detegit ignoranti veritatem. Diſputant in utramque partem Theologi, valeat ne matrimonium in his tribus caſibus, præſertim in ultimo? Opinio affirmans videtur probabilior: quia ſervitus iſta nullius momenti eſt; cum, matrimonio contracto, continuo evaneſcat, & pars libera reipſa non fiat deterioris conditionis. Matrimonium cum *liberta*, quæ prius fuit ancilla, & poſtea aſſecuta ad libertatem plenam, validum eſt. Si vero ancilla nondum evaſit *liberta*, ſed promiſſionem habet a domino obtinendæ poſt breve tempus libertatis; tunc, ſi tempore ſervitutis contrahat, matrimonium nullum eſt. Idem dicendum, ſi libertatem aſſequatur ad tempus, puta ad biennium, poſtea redigenda in ſervitutem: quia tunc revera manet ſervitus, licet per breve tempus abrupta.

VIII. Quæſt. V. *An proles in ſervitute patrem, aut matrem ſequatur?* Reſp. Iuris diſpoſitio determinavit: *Partus ſequitur ventrem.* Iuxta quam diſpoſitionem, ſi quis ex patre libero, & matre ſerva naſcatur, ſervus eſt: contra, qui a patre ſervo, & matre libera gignitur, liber eſt.

IX. Quæſt. VI. *Qui pœnæ ſervus eſt, contrahere matrimonium poteſt?* Reſp. Servus pœnæ dicitur qui damnatus a iudice eſt ad pœnam ſubeundam, puta ad triremes, ad perpetuum exilium, ad mortem, quam fuga declinavit. Servi iſti omnia iura civitatis, familiæ, originis, & libertatis amiſerunt, & civiliter mortui ſunt. Illorum matrimonia nulla ſunt quantum ad effectus civiles, nempe prolis legitimationem, dotem, hereditatem &c. Quantum vero ad vinculum coniugale, & ſacramentale nulla lege eccleſiaſtica eiuſmodi matrimonia irritantur. Si tamen uxor luculentis documentis probare poſſet, ſe ignoraſſe mariti conditionem, poſſet quoque illa conventiones matrimoniales, dotem, dotalitium, iura communitatis &c. percipere.

X. Quæſt. VII. *Servorum matrimonia ſunt ne valida?* Reſp. Contendunt plures, ante ſeculum



xii. ſervorum coniugia aliquando fuiſſe irrita: idque colligunt ex epiſtola S. Baſilii ad Amphilochium *can.* 40. Utut res ſe habeat, certum eſt Eccleſiam poſt ſeculum xii. lege communi declaraſſe ſervorum coniugia, abſque dominorum conſenſu inita, rata, & valida eſſe, ut in *IV. decret.* tit. ix cap. *Dignum eſt*, habetur. *Iuxta verbum Apoſtoli, ſicut in Chriſto Ieſu neque liber, neque ſervus eſt a ſacramentis Eccleſiæ removendus, ita nec inter ſervos matrimonia debent ullatenus prohiberi; & ſi contradicentibus dominis, & invitis contracta fuerint, nulla ſunt ratione propter hoc diſſolvenda.* Domini abſolute nequeunt reſiſtere, & licentiam negare ſervis poſtulantibus ad matrimonia ineunda: quia, inquit 2. 2. *quæſt.* civ. *art.* 5. S. Thomas, *ſervi natura ſunt pares in iis quæ pertinent ad corporis ſuſtentationem, & prolis generationem.* Unde infert: *Non tenentur ſervi dominis obedire de matrimonio contrahendo, vel ſervanda virginitate.*

## §. III.

### *De impedimento voti, & Ordinis ſacri.*

I. Votum univerſe definitur: *Deliberata promiſſio boni melioris Deo facta.* Ratione materiæ multiplex eſt votum iuxta diverſitatem bonorum de quibus ſit votum. Ratione formæ duplex eſt votum, ſimplex, & ſolemne. De voto ſimplici, neque de voto quod a Ieſuitis poſt duos probationis annos emittitur, quodque ex privilegio ſpeciali Gregorii XIII. matrimonium dirimit, nullus eſt hic ſermo; ſed de voto ſolemni tantum. Nam votum ſimplex caſtitatis, vel Religionis, illicitum, non irritum matrimonium efficit.

II. Votum ſolemne, in Religione approbata emiſſum, iuxta Eccleſiæ leges matrimonium contrahendum, ſeu contractum poſt tale votum, nullum efficere, certum eſt. Diſputant Theologi, unde repetendum ſit diſcrimen inter votum ſimplex, & ſolemne. Verum hæc de controverſia latius a nobis diſputatum eſt *Tom. III.* & in *epiſtola ad Polycarpum.* Quare actum agerem, ſi iterum de eadem verba facerem.

III. Similiter Ordinem ſacrum impedimentum eſſe dirimens matrimonium, ſeu irritum efficiens poſt Ordinis ſuſceptionem contractum, certum eſt; ut iam ſupra de ſacramento Ordinis dixi. Diſputant Theologi, an Ordo ſacer irritet matrimonium ratione ſui, an ratione voti ſolemnis caſtitatis annexi; ſed hæc diſputatio nullius momenti eſt. Sanchez contendit, eum qui invitus Ordinem ſuſcepiſſet, poſſe valide contrahere. Principio iſte talis *aut eventu neceſſitatis, aut metu periculorum*, ut inquit Concilium Toletanum VIII. excommunicationi ſubiectus eſſet, & irregularitatem contraheret. Inſuper matrimonium illud iuxta probabiliorem ſententiam irritum eſſet, ut docent S. Antoninus *III. Part. tit.* 1. *cap.* viii. Paludanus in *IV. diſt.* xxxviii. *qu.* ii. S. Raymundus *tit. de matrim.* Hoſtienſis, & alii plures.

## §. IV.

### *De impedimento cognationis.*

I. Cognatio triplex, naturalis, ſpiritualis, legalis. Naturalis ſeu carnalis appellatur *conſanguinitas*, quaſi ſanguinis unitas: quia conſanguinei ab eodem ſtipite deſcendunt, & in illo quaſi coniunguntur. Cognatio ſpiritualis eſt affinitas quæ ex baptiſmo, vel confirmatione oritur, & dicitur etiam *compaternitas*. Cognatio legalis ex adoptione legali, & legitima proficiſcitur, & appellatur etiam *adoptio*. De his tribus cognationibus ſermo erit.

II. Quæſt. I. *Quid, & quotuplex ſit conſanguinitas?* Reſp. S. Thomas in *Suppl. q.* liv. *art.* 1. hoc pacto conſanguinitatem definit. *Eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum.* Definitio ex ſe perſpicua eſt. Tribuitur conſanguinitas iuxta eumdem Angelicum ibidem *artic.* 2. in lineas, & gradus. Linea eſt, inquit, ordinata collectio perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium. Duplex eſt. Una *recta*, eſtque collectio eorum quorum unus ab altero deſcendit; ut filius a patre, nepos a filio, & deinceps uſque in infinitum. Et hæc, licet una ſit, dupliciter tamen ſpectatur. Alia quippe eſt *aſcendentium*, qua fit aſcenſus a genitis ad genitores; ut a filio ad patrem, a patre ad avum. Alia *deſcendentium*, qua a patre ad filium, a filio ad nepotem, pronepotem &c. fit deſcenſus. Secunda linea eſt *tranſverſalis*, quæ deſcribitur: *Collectio eorum qui ab eodem ſtipite deſcendunt, quin unus ab altero ortum ducat*; puta fratres, conſobrini &c. Hæc quoque ſub duplici aſpectu conſideratur. Altera eſt *æqualis*, ut duo fratres, qui eodem gradu ab unico ſtipite deſcendunt. Altera eſt *inæqualis*, ut patruus, & nepos, qui inæqualiter ab eodem principio diſtant. *Gradus* eſt diſtantia maior aut minor unius perſonæ ab alia ſecundum lineam conſan-

gui-

guinitatis. *Stipes* tandem dicitur illa perſona a qua aliæ conſanguineæ originem trahunt, ut filiorum pater, nepotum avus eſt ſtipes.

III. Quæſt. II. *Quæ ſunt regulæ quæ a Theologis, & Canoniſtis aſſignantur pro graduum conſanguinitatis computatione?* Reſp. Tres ſunt. I. In recta linea aſcendentium, & deſcendentium tot ſunt gradus, quot perſonæ, ſtipite dempto. Hinc pater, filius, nepos, pronepos, abnepos, quinque perſonæ ſunt, & quatuor gradus: & filius cum patre eſt in primo, nepos in ſecundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto gradu: quoniam tot ſunt gradus, quot generationes. Generatio autem inter duos terminos concluditur, nempe generantem, & genitum. II. Regula. In linea collaterali æquali perſonæ tot gradibus invicem diſtant, quot a communi ſtipite: ſic duo fratres diſtant in primo gradu inter ſe, quia uno gradu diſtant a ſtipite, in quo coniunguntur. Duorum fratrum filii ſunt conſanguinei in ſecundo gradu, quia in eodem a ſtipite diſtant. III. Regula. In linea collaterali inæquali tot gradibus inter ſe diſtant, quot gradibus diſtat a ſtipite qui eſt remotior. Quare patruus, & filius ex fratre diſtant inæqualiter ab avo, in quo coniunguntur: ille enim in primo, cum ſit eiuſdem filius, hic vero diſtat in ſecundo gradu; ergo inter ſe diſtant in ſecundo gradu: quia perſona remotior duobus gradibus diſtat a ſtipite.

IV. Quæſt. III. *An diverſo modo in iure civili, ac in canonico gradus computentur?* Reſp. In ſupputatione graduum lineæ rectæ nullum diſcrimen eſt. In utroque enim tot ſunt gradus, quot perſonæ, ſublato ſtipite. Hinc filius in primo, nepos in ſecundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto gradu diſtant. In linea vero tranſverſali ſeu collaterali ius civile a canonico iure diſcrepat. Nam illud per perſonas gradus numerat, totque gradus conſtituit, quot ſunt perſonæ, dempto ſtipite. Sic duo fratres uno quidem gradu diſtant a patre communi; at duobus gradibus diſtant inter ſe, quia ſunt duæ perſonæ: & duorum fratrum filii diſtant in quarto gradu, quia quilibet a ſtipite diſtat in ſecundo gradu, & quatuor conſtituunt perſonas, dempto ſtipite. Ius vero canonicum, non per perſonas, ſed per diſtantiam a ſtipite, gradus numerat. Ratio ſupputationis canonicæ eſt, quia perſonæ in ordine tranſverſo invicem non coniunguntur, niſi ratione ſtipitis, a quo deſcendunt. Ergo nequeunt inter ſe magis vel minus diſtare quam diſtant a ſtipite. Hinc duo fratres in primo tantum gradu diſtant, quia ambo in primo gradu cum ſtipite coniunguntur. Si inæqualiter a ſtipite diſtant, ut patruus, & filius fratris, eo gradu diſtant inter ſe, quo gradu diſtat a ſtipite qui eſt remotior, ut dictum eſt. Diverſæ ſupputationis cauſſam in iure civili, ac canonico præbet Alexander II. *quæſt.* XXXVIII. inquiens: *In legibus ob nihil aliud ipſorum graduum mentio facta eſt, niſi ut hereditas, vel ſucceſſio ab una ad alteram perſonam inter conſanguineos deferatur. In canonibus vero ob hoc progenies computatur, ut aperte monſtretur, uſque ad quotam generationem a conſanguineorum nuptiis ſit abſtinendum. Ibi præſcribitur ut hereditas propinquis modo legitimo conferatur; hic vero, ut rite & canonice inter fideles nuptiæ celebrentur. In legibus diſtincte non numerantur gradus, niſi ad ſextum, in canonibus autem uſque ad ſeptimam diſtinguuntur generationem. Hac igitur de cauſſa, quia hereditates nequeunt deferri niſi de una ad alteram perſonam; idcirco curavit ſæcularis Imperator in ſingulos præfigere gradus. Quia vero nuptiæ ſine duabus non valent fieri perſonis, ideo ſacri canones duas in uno gradu conſtituere perſonas.* Advertendum tamen, quod licet olim tempore Alexandri II. impedimentum conſanguinitatis extenderetur uſque ad gradum ſeptimum, nunc tamen ex decreto Inocentii III. anno 1200. concluditur intra quartum gradum incluſive. Rationem huius reſtrictionis Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *cap.* II. aſſignat his verbis: *Docet experientia propter multitudinem prohibitionum multoties in gradibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeveratur, vel ea non ſine magno ſcandalo dirimuntur.* Rationes cur matrimonia inter aſcendentes & deſcendentes lineæ rectæ prohibita ſint & nulla, S. Thomas in *Supplem. quæſt.* LXV. *artic.* 2. aſſignat.

V. Quæſt. IV. *Quo iure, & in quo gradu ſint prohibita, & nulla matrimonia inter aſcendentes, & deſcendentes lineæ rectæ?* Reſp. Communis ſententia eſt in primo gradu lineæ rectæ nulla eſſe matrimonia iure naturæ; ut S. Thomas in *Supplem. quæſt.* LXV. *artic.* 3. docet. Et S. Ambroſius *epiſt.* LXVI. ad Patern. inquit: *Ne pater filiam ſuam accipiat uxorem, interdictum eſt iure naturæ; interdictum eſt lege quæ eſt in cordibus ſingulorum; interdictum eſt inviolabili lege pietatis, titulo neceſſitudinis.*

VI. An vero in quolibet gradu ſint matrimonia illicita, & nulla inter conſanguineos lineæ rectæ, diſputant in utramque partem Theologi. Nicolaus I. ad conſulta Bulgarorum *cap.* XXXIX. ait: *Inter perſonas quæ parentum, liberorumve locum inter ſe obtinent, nuptiæ contrahi non poſſunt, veluti inter patrem, & filiam, vel avum, & neptem, & uſque in infinitum.* Ven. Bellarminus prudenter *cap.* XXVI. *de matrimon.* advertit, hanc particulam *uſque in infinitum* non valde hac de re ſollicitos nos efficere debere, cum vix contingere poſſit ut cupiant aliqui matrimonium inire in gradu quinto, aut ulteriore in linea recta. Aut enim non inveniuntur homines vivi; aut ſunt ita inæquales quoad ætatem, ut abſurdiſſimum ſit eos inter ſe matrimonium velle contrahere. Quamobrem vanam & prorſus inutilem reputo controverſiam illam, num ſi Adamus nunc reſurgeret, poſſet alicui feminæ nubere, ſeu an iure naturæ inter aſcendentes, & deſcendentes nullum ſit matrimonium uſque in infinitum. Sat quippe eſt, nullum eſſe uſque ad quartum gradum incluſive, ob rationem datam a Ven. Bellarmino. Similiter num iure naturæ, an divino irrita ſint eiuſmodi matrimonia in ſecundo, tertio, & quarto gradu, nihil diſcutere intereſt.

VII. Quæſt. V. *An in linea tranſverſa iure naturæ nulla ſint matrimonia in primo gradu, ut inter fratres & ſorores?* Reſp. Affirmant Soto, Toletus, Lugo, Bonacina, Gonet, & alii plures. Sententia negans, quam defendunt Caietanus, Pontius, Candidus, & alii quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *num.* 10. mihi eſt probabilior: & colligitur ex ipſa Scriptura. Nam *II. Reg.* XIII. Thamar Amoni fratri ſuo, eam opprimere volenti, reſpondit: *Noli, frater, opprimere me, noli facere ſtultitiam hanc; quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* Sed, quod magis urget, initio mundi fratres reipſa ſorores ducebant. Nec eſt quod reſpondeant, id ex diſpenſatione divina factum eſſe. Nam reſponſio hæc dedecet ſapientiſſimi Legiſlatoris providentiam. Quid? Talem ne Deus legem condidit, quæ vix promulgata ſine diſpenſatione ſervari non potuit? Eum ne ordinem in humani generis propagatione Deus conſtituit qui aut neceſſario lædendus, aut ab eo diſpenſandi homines erant? Latuit ne Deum propagandæ ſocietatis humanæ via quæ diſpenſatione non egeret? Tandem quæ ratio probat naturæ iuri hæc matrimonia repugnare? Frater enim & ſoror non ſunt una caro, ſicut pater & filius: nec inter eos æqualitas repugnat, cum unus ab altero non pendeat.

VIII. Opponunt Innocentium III. cap. *Gaudemus*, docentem ſeparandos non eſſe infideles qui in ſecundo, & tertio gradu matrimonia contraxerunt. Ergo inferendum videtur, ſeparandos eſſe, ſi in primo gradu contraxiſſent. Præterea Eccleſia numquam in tali gradu diſpenſavit. Reſp. Ut ab ultimo incipiam, Eccleſia numquam diſpenſavit, nec diſpenſabit, quia indecentia, & illicita ſunt eiuſmodi matrimonia. Nec occurrere iuſta diſpenſandi nunc ratio poteſt. Hinc eſt quod vix aliqua culta, ne dicam barbara, natio reperitur, quæ eiuſmodi matrimonia non prohibeat. Quamobrem prudenter Innocentius III. iſtius primi gradus non meminit, tum quod vel inter ipſos infideles ratione iuris poſitivi poſſunt matrimonia eiuſmodi eſſe nulla, tum quod de eorumdem valore inter Theologos diſputabatur; idcirco in ſecundo & tertio gradu contracta decernit non eſſe dirimenda, quia de his nulla eſt controverſia.

IX. Quæſt. VI. *Quid ſit impedimentum cognationis ſpiritualis, & ad quas perſonas extendatur?* Reſp. Cognatio ſpiritualis, ut indicavi ſupra, eſt *propinquitas perſonarum iure eccleſiaſtico introducta.* Hæc in duobus tantum ſacramentis baptiſmi, & confirmationis contrahitur: rationeſque congruentes tradit Angelicus in *Supplem. quæſt.* LVI. *artic.* 2. *ad* 1. In ſacramento pœnitentiæ quædam filiatio ſpiritualis contrahitur, quæ cognationem ſpiritualem proprie talem non conſtituit. Perſonæ quæ cognationem ſpiritualem contrahunt, numerantur a Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *cap.* II. *de reform.* his verbis: *Statuit ut unus tantum, ſive vir, ſive mulier, iuxta ſacrorum canonum inſtituta, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, inter quos ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantum ſpiritualis cognatio contrahatur.* Et ſub capitis finem addit. *Ea quoque cognatio quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum, illiuſque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur.* Ad hanc tamen cognationem ſpiritualem contrahendam requiritur ut verum & ſolemne baptiſma conferatur. Hinc Auctores plures advertunt, ex baptiſmo domi collato, cuius poſtea ſolemnitates in Eccleſia ſupplentur, non contrahi cognationem ſpiritualem, dirimentem inter patrinos & baptizatum. Contrahi-

bitur vero a baptizante cum baptizato. Si puer ſemel baptizatus rebaptizetur, non contrahitur cognatio ſpiritualis; contrahitur vero in baptiſmo ſub conditione adminiſtrato. Si infidelis baptizaret puerum, vel illum de ſacro fonte levaret, non contraheret cognationem ſpiritualem: quare ſi ad fidem converteretur, poſſet cum ipſo baptizato, eiuſque patre, & matre contrahere. Præterea ſuſceptores de baptiſmo debent eſſe deſignati a parentibus pueri, aut ab illis quorum intereſt; ut Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *c.* 11. ſtatuit. Laicus qui in extrema neceſſitate baptizat puerum, cognationem ſpiritualem cum eodem contrahit.

X. Quæſt. VII. *Quid ſit, & quas conditiones requirat cognatio legalis, ut inducat impedimentum dirimens?* Reſpond. Cognatio effectus eſt adoptionis. *Adoptio eſt* (inquit S. Thomas in Supplem. quæſt. LVII. art. 1.) *extraneæ perſonæ in filium, aut nepotem legitima aſſumptio.* Ut ſit legitima, ſex requiruntur conditiones. 1. ut adoptans ſit maſculus, quia feminæ adoptare nequeunt, cum filios ſub ſua poteſtate continere non poſſint. Addit tamen Angelicus *loc. cit. art.* 3. *ad* 3. quod *etiam mulier ex conceſſione Principis adoptare poteſt. Unde etiam in ipſam tranſit cognatio legalis.* 2. ut adoptans ſit vigintiquinque annis maior. 3. ut poſſit naturaliter filios gignere: quare naturaliter impotentes, frigidi, & inter plures ſpadones fieri adoptantes nequeunt. 4. Adoptans decem & octo annos excedere adoptatum debet, ut ratione ætatis eius filius dici adoptatus poſſit. 5. Adoptans, & adoptatus debent eſſe præſentes, quia inter abſentes, aut per procuratorem non poteſt adoptatio fieri. 6. Accedat oportet Principis, ſeu Magiſtratus auctoritas.

XI. Duplicem diſtinguit Sanctus Thomas *loc. cit. artic.* 1. *ad* 2. adoptionem. Prima eſt perfecta, quæ dicitur *arrogatio*, & fit reſcripto Principis, cum perſona extranea quæ ſui iuris eſt, tranſit in poteſtatem & familiam adoptantis, quemadmodum ceteri filii legitimi. Ideo autem *arrogatio* nuncupatur, quia adoptans rogatur a Principe, an velit in filium, vel nepotem talem perſonam aſſumere: & ipſe quoque adoptatus rogatur, an velit aſſumi, & in adoptantis poteſtatem tranſire. Alia eſt *imperfecta*, & vocatur *ſimplex adoptio*. Hæc non requirit ut adoptatus ſit ſui iuris, nec Principis ſupremi reſcriptum; ſed ſat eſt cuiuſcumque Magiſtratus auctoritas. Arrogatus neceſſario ſuccedit arroganti tam ex teſtamento, quam ab inteſtato. Simplex adoptatus ſuccedit tantum ab inteſtato.

XII. Hæc cognatio legalis tam perfecta, quam imperfecta, alia eſt in linea recta aſcendentium, & deſcendentium inter adoptatum & adoptantem. Alia eſt in linea tranſverſa inter adoptatum & filios carnales legitimos adoptantis. Tertia eſt affinitatis legalis ad ſimilitudinem affinitatis carnalis, quæ verſatur inter adoptantem & uxorem adoptati, & inter ipſum adoptatum & uxorem adoptati, & inter ipſum adoptatum & uxorem adoptantis.

XIII. Quælibet ex his adoptionibus matrimonium dirimit poſitivo iure: quia licet adoptiones iſtæ in re civili invectæ ſint; tamen iure canonico approbatæ ſunt, & ſecundum hanc rationem impedimenti dirimentis vim habent. De adoptione tamen imperfecta diſputant in utramque partem Theologi, num inducat impedimentum dirimens. Affirmant plures; verum plures alii negant. Et hanc negantem opinionem defendere videtur in *Supplem. quæſt.* LVII. *artic.* 1. *ad* 1. Angelicus, ubi de adoptione imperfecta inquit: *Magis eſt diſpoſitio quædam ad perfectam adoptionem quam adoptio perfecta.* Rurſus *artic.* 2. addit: *Filius adoptatus converſatur in domo patris adoptantis, ſicut filius naturalis: ideo legibus humanis prohibitum eſt inter tales matrimonium contrahi: & talis prohibitio eſt per Eccleſiam approbata.* Per ſolam autem adoptionem perfectam, quæ dicitur *arrogatio*, adoptatus tranſit in familiam, & poteſtatem adoptantis. Ergo hæc ſola inducit impedimentum dirimens. Iura enim aſſerunt, ex adoptione abſolute accepta oriri cognationem legalem. Adoptio autem imperfecta non eſt abſolute adoptio, ſed via ad illam, inquit S. Thomas. Tandem multiplicanda non ſunt impedimenta ſine evidenti ratione.

XIV. De tempore quo eiuſmodi impedimentum durat, diſputant Theologi. S. Thomas *cit. quæſt.* LVII. *numer.* 3. docet, in prima, & ultima ſpecie, videlicet inter adoptantem & adoptatum, inter uxorem adoptantis & adoptatum, inter uxorem adoptati & adoptantem perpetuo durare, quod reverentia, vi cuius invectum eſt impedimentum illud, ſemper durare debet, atque adeo ipſum impedimentum. In ſpecie ſecundi lineæ collateralis, nempe inter adoptatum & filios carnales, & legitimos adoptantis, durat impedimentum, quoadusque ſubiecti extant poteſtati adoptantis. Quare, ſublata patria





poteſtate aut morte adoptantis, aut emancipatione filii adoptati, vel naturalis, deſinit impedimentum illud; cum ſit introductum evitandi periculi incontinentiæ cauſa ob familiaritatem inter adoptatum & filios adoptantis. Hoc autem evaneſcit, cum ceſſat patria poteſtas, aut cum filii emancipantur.

XV. In controverſiam quoque vertunt, ad quos hæc legalis cognatio extendatur. Aliqui contendunt, extendi in linea recta uſque ad quartum gradum. Sed probabilior opinio eſt, non extendi ultra primum gradum.

## §. V.

### *De impedimento criminis.*

I. CRimen illud ſitum eſt aut in adulterio cum promiſſione futuri matrimonii poſt mortem alterius coniugis, aut in homicidio coniugis cum adulterio, aut in homicidio, utriuſque complicis conſenſu perpetrato, ſine adulterio, aut in adulterio cum matrimonio de præſenti contracto cum complice. Itaque crimen illud quadruplex eſt. 1. ſolum homicidium. 2. homicidium cum adulterio. 3. adulterium cum promiſſione futuri matrimonii. 4. adulterium cum matrimonio.

II. Quæſt. I. *Quomodo homicidium cum adulterio pariat impedimentum dirimens?* Reſpond. Quando, commiſſo adulterio, unus coniugum, puta maritus, ſuam uxorem, aut uxor ſuum maritum occidit ex intentione contrahendi matrimonii cum adultera, aut adultero, licet non interveniat utriuſque conſpiratio, oritur impedimentum dirimens. Non ſufficit ergo ſolum homicidium, ſed requiritur etiam adulterium patratum ante occiſionem. Mandaſti ſicario ut occidat Liam uxorem tuam; & poſt illius mortem peccaſti cum Rachele uxore alterius: tunc non conſurget impedimentum dirimens: orietur vero tale impedimentum, ſi poſt machinationem, ſeu mandatum occidendi Liam, ante eiuſdem mortem adulterium perpetraſſes cum Rachele. Requiritur etiam ut occiſio fiat ex intentione perveniendi ad matrimonium. Hinc ad hoc ut impedimentum ex homicidio cum adulterio oriatur, ſequentes conditiones poſtulant Auctores. 1. Quod mors reipſa ſecuta fuerit: nec ſufficit machinata, & intentata. Quare ſi mandans mandatum revocet, & mandatario innoteſcat ante occiſionem, non oritur impedimentum. Oportet autem ut mors ſequatur ex vi actionis, nempe percuſſionis, veneni, violentiæ, per ſe, vel per alium factæ. 2. Matrimonium antecedens coniugis occiſionem debet eſſe verum & validum. 3. Adulterium debet eſſe conſummatum cum emiſſione ſeminis intra vas feminæ. 4. Adulterium occiſionem antecedat, oportet. 5. Uterque, adulter, & adultera, debet eſſe conſcius matrimonii utriuſque. Quare ſi uxor rem habeat cum coniugato, quem putat eſſe liberum, non oritur impedimentum, etiamſi iſte poſtea occidat ſuam uxorem.

III. Aliqui negant neceſſariam intentionem perveniendi ad matrimonium, ſed ſufficere homicidium cum adulterio. Sed alii communiter talem animum requirunt ex parte non utriuſque, ſed unius, contrahendi matrimonii cum complice, delicti. Hinc ſi quis occideret adulteræ virum, ut liberius eadem uteretur, vel ob inimicitias cum eodem; aut ſuam perimeret ob tedium, aliamve cauſſam; tunc non induceretur impedimentum dirimens.

IV. Quæſt. II. *Quomodo homicidium abſque adulterio inducat impedimentum dirimens?* Reſpond. Requiritur ut ambo vir, & mulier conſpirent in machinationem mortis uxoris, aut mariti cum intentione, ut, morte ſecuta, matrimonium ineant. Non ſufficit machinatio, non percuſſio, non porrectio veneni, niſi mors reipſa ſequatur. Neceſſaria eſt utriuſque conſpiratio, ſeu conſilium, vel cooperatio. Si unus tantum coniux ſine ſcitu, conſilio, conſpiratione alterius occidat coniugem, non oritur impedimentum dirimens. Tandem neceſſaria eſt intentio contrahendi cum illa, aut cum illo complice. Et hæc intentio matrimonii futuri debet innoteſcere complici. Quoniam niſi hæc intentio utique parti manifeſta ſit, non poteſt eſſe conſpiratio in occiſionem ex intentione futuri matrimonii ineundi invicem. Non eſt tamen neceſſaria promiſſio, ſed ſufficit ſola contrahendi voluntas. Hæc mutua conſpiratio in mortem alterius coniugis, effectu ſecuto, ſive vir occidat uxorem, ſive uxor virum, ſive propriis manibus, ſive alterius ope, ſufficit ſine adulterio, ut dictum eſt. Si autem adulterium accedat, crimen erit mixtum ex homicidio, & adulterio cum mutua conſpiratione, atque adeo difficilioris diſpenſationis.

V. Quid de hoc caſu? Sempronius odit uxorem ſuam adulteram, eiuſque adulterum, illorumque occiſionem machinatur. Iſti hoc

reſcientes occidunt Sempronium, nulla matrimonii futuri intentione habita. Poſt mortem Sempronii nuptias celebrant invicem. Validum ne matrimonium illud? Affirmant communiter Auctores: quia occiſio illa non fuit effectus intentionis futuri matrimonii. Quid, ſi ex intentione non primaria, ſed ſecundaria matrimonii futuri peracta occiſio eſſet? Tunc nullum eſſet matrimonium: ſufficit enim adfuiſſe intentionem. Neque iura diſtinguunt intentionem primariam a ſecundaria.

V. Quæſt. III. *Quomodo adulterium cum promiſſione futuri matrimonii ſine homicidio pariat impedimentum dirimens?* Reſpond. Sola promiſſio, vel acceptatio promiſſionis ineundi matrimonii poſt mortem coniugis, peccatum grave, non impedimentum parit; ſicut & adulterium ſine promiſſione, aut occiſione impedimentum dirimens non inducit. Requiritur igitur adulterium iunctum cum promiſſione futuri matrimonii. Has tamen conditiones Auctores aſſignant. I. Ut adulterium ſit conſummatum cum coniuge, vero & legitimo matrimonio ligato. Debent ambo, adulter, & adultera, eſſe conſcii matrimonii. Quia ſi ſimul coeant ignorantes matrimonium, non committunt formaliter adulterium. Quamobrem ſi adulterium materiale antecedat matrimonii notitiam, deinde ſequatur promiſſio abſque novo adulterio, non oritur impedimentum dirimens. Si contra promiſſio præcedat ſcientiam matrimonii, & ea poſita, ſequitur adulterium, oritur impedimentum dirimens. II. Tam promiſſio, quam adulterium mortem coniugis antecedere debent. Heinc ſi Sempronius adulteretur cum Berta, & poſtea, mortuo marito, illi promittat matrimonium, eamque ducat, validum matrimonium eſt. Si præfatus Sempronius promittat eidem Bertæ futurum matrimonium, & hanc promiſſionem revera revocet, tum poſt revocationem promiſſionis admittat adulterium, tunc non oriri impedimentum aſſerunt, eo quod promiſſio, & adulterium non ſint moraliter coniuncta. Si tamen promiſſio, & adulterium, aut adulterium, & promiſſio ſequantur, vivente coniuge, licet poſtea revocentur, impedimentum dirimens inducitur, quia per promiſſionem, & adulterium impedimentum ortum fuit; nec eſt amplius in poteſtate voluntatis talis impedimenti ablatio. III. Promiſſio ſignis externis manifeſtata ſit oportet, & acceptata. Si vir mulieri promittat, & hæc non acceptet promiſſionem, aut taceat, nullumque ſignum poſitivum acceptationis perhibeat, non oritur impedimentum dirimens. Si promiſſio ſit ficta, exterius ſerio facta apparens, & ſerio acceptetur ab altera parte, induci impedimentum dirimens, docent Sanchez, Leander, & Palaus; negant vero Layman, Diana, Dicaſtillus, & alii, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *numer. 62.* quia ſicuti iura verum adulterium, ita veram, & non fictam promiſſionem poſtulant, ut impedimentum tale inducatur. Quænam ſit ex his duabus opinionibus probabilior, revera ignoro. Ex ficta promiſſione, exterius ſerio apparente, & ſincero animo acceptata ab altera parte, eadem ſequi abſurda videntur ac ex promiſſione vera. Quare deciſionem doctiorum iudicio ſubmitto.

VII. Quæſt. IV. *Adulterium cum matrimonio de præſenti contracto inducit ne impedimentum dirimens?* Reſp. Affirmat communis ſententia. Hoc enim eſt quartum crimen, unde oriri hoc impedimentum aiunt; ſi tamen verum validumque matrimonium præcedat, eiuſque matrimonii conſcii ſint ambo, & adulterium conſummatum patraverint, atque de præſenti matrimonium contraxerint, ſeu verius contrahere attentaverint. Neque enim, ſtante priore matrimonio, aliud contrahere reipſa valent; ſed ſat eſt quod ipſi eo quo valent modo contrahant de præſenti matrimonium, adulteriumque committant, ut impedimentum dirimens inducatur.

VIII. Hoc impedimentum, cum ſit iure eccleſiaſtico conſtitutum, non obſtringit infideles, qui, ſi poſt recenſita crimina converterentur ad fidem, poſſent mutuo coniugium inire. Si tamen unus eſſet fidelis, tunc inhabiles forent ad matrimonium ineundum, ſive eſſent rei homicidii cum mutua conſpiratione, ſive adulterii cum promiſſione, ſive adulterii cum homicidio, ſive adulterii cum matrimonio de præſenti.

## §. VI.

### *De impedimento diſparis cultus.*

I. QUæſt. I. *Quid ſignificat cultus diſpar?* Proprie ſignificat diverſam religionem; qualis eſt inter infidelem, & fidelem, ſeu baptizatum, & non baptizatum. De hoc impedimento pauca dixi ſupra *diſſert.* 1. *cap.* IV. *quæſt.* VI. & VII. nempe Eccleſiam prioribus ſæculis toleraſſe matrimonia Chriſtianorum cum infidelibus; illius tamen mentem ſemper fuiſſe, ut Chriſtiani a coniugio infidelium abſtinerent.

Nam



Nam eiuſmodi matrimonia abſolute ſunt illicita, etiam ſublata quacumque prohibitione, regulariter, & communiter loquendo: etſi occurrere caſus poſſunt in quibus ſint licita; ut primis ſæculis contigit. Sed, præciſis aliquibus caſibus, communiter deformitatem eiuſmodi coniugia produnt. Heinc eſt quod Deus *Deuteron.* VII. prohibuit Iudæis ne infideles uxores ducerent: *quia ſeducet filium tuum, ne ſequatur me, & ut magis ſerviat diis alienis.* Rurſus hoc idem *I. Reg. cap.* 11. repetit. *Certiſſime avertent corda veſtra, ut ſequamini deos alienos.* Nimia enim familiaritas quæ intercedit inter coniuges, ſubverſionis periculum communiter ſecum adfert, & damnum proli educandæ infert. Similiter iure naturali & divino prohibita ſunt Catholicorum cum hæreticis connubia. In aliquibus tamen regnis, & provinciis, in quibus Catholici cum hæreticis commixti ſunt, tolerantur; ut alias dictum eſt.

II. Quæſt. II. *An iure naturali & divino ſint irrita matrimonia baptizati cum non baptizato?* Reſpond. Negat communis ſententia, probatque tum multis exemplis ſacræ Scripturæ & veteris, & novi teſtamenti, tum ratione. Nam ſi matrimonium inter Chriſtianum & infidelem eſſet naturæ iure irritum, continuo ac infidelis fieret Chriſtianus, matrimonium nullum fieret, quod tamen falſum eſt. Prohibuit utique Deus Iudæis ne cum infidelibus connubia ſocientur; immo *Eſdræ cap.* IX. & X. iubetur, Iudæos ſeparari a coniugibus idololatris. Iuſſa eſt ſeparatio ob peculiare periculum ſubverſionis, & Iudæorum pronitatem ad idololatriam. Heinc tamen non ſequitur, matrimonia fidelium cum infidelibus eſſe abſoluto irrita & nulla.

III. BENEDICTUS XIV. Pontifex maximus feliciter regnans *Lib. IV. de Synodo cap.* IV. *num.* 3. poſtquam declaravit, matrimonium ab Hebræis in infidelitate contractum, & conſummatum diſſolvi per converſionem alterutrius ad fidem chriſtianam, renuente altero cohabitare ſine contumelia Creatoris, addit integrum non eſſe coniugi converſo tranſire ad alia vota, niſi prius infidelis interpellatus aut recuſaverit abſolute cum eo cohabitare, aut declaraverit ſe nolle cohabitare abſque iniuria Creatoris. Deinde inquirit, quid agendum, quando accidit coniugem infidelem in longinquas abiiſſe regiones, aut ita latitare, ut interpellari non queat. Narrat aliquos defendere, omiſſa interpellatione, licitum eſſe coniugi converſo tranſire ad ſecundas nuptias; alios vero docere, neceſſariam eſſe in hoc rerum ſtatu ſummi Pontificis diſpenſationem. „ Atque (inquit) huic poſte-
„ riori ſententiæ in quadam cauſa Florenti-
„ na, diſcuſſa 17. Ianuarii 1722. adhæſit ſa-
„ cra Congregatio Concilii; cuius iudicio nos
„ omnia ſubiecimus rationum momenta quæ
„ a diſſidentibus inter ſe Doctoribus in u-
„ tramque partem afferuntur; ut legere eſt
„ *Tom. II. Theſaur. reſol. pag.* 117. *& ſeqq.*"

IV. Alteram quæſtionem proponit *ibidem num.* 4. Pontifex ſummus, quam integram hinc tranſcribere iuvat. „ Sed alia hinc ori-
„ tur controverſia de temporis momento quo
„ reſcindatur fœdus connubii de quo eſt ſer-
„ mo. Plerique Doctores ſentiunt, interpel-
„ lato coniuge infideli, eoque aut expreſſe
„ abnuente legitime cohabitare cum fideli,
„ aut intra terminum, ſibi in interpellatione
„ præfixum, nihil reſpondente, diſſolutum
„ ſtatim cenſeri vinculum coniugii, quo erant
„ ambo conſtricti. Alii arbitrantur, tunc pri-
„ mum dirimi, cum coniux converſus alte-
„ ras nuptias contrahit. Ab iſtius autem con-
„ troverſiæ deciſione alterius pendet enoda-
„ tio difficultatis, de qua non ſemel contin-
„ git in eccleſiaſticis foris diſputari. Fingite,
„ Titium Hebræum chriſtianam fidem am-
„ plecti: poſtquam fuit baptiſmate ablutus,
„ uxorem ſuam Næviam, quam in Iudaiſmo
„ pertinacem reliquit, interpellet, an velit
„ ſecum cohabitare ſine Creatoris contume-
„ lia: Nævia aut expreſſe renuat, aut intra
„ præfinitum ſibi temporis intervallum nihil
„ reſpondeat: aliud deinde matrimonium
„ cum hebræo viro contrahat Nævia, Ti-
„ tius autem chriſtianus cœlibem ſtatum eli-
„ gat. Fingite rurſus, poſt aliquot annos
„ Næviam cum ſuo ſecundo viro ad chri-
„ ſtianam fidem converti, colente adhuc Ti-
„ tio cœlibem ſtatum. Gravis ſtatim exci-
„ tatur quæſtio, an Nævia redire debeat ad
„ Titium ſuum primum virum, an potius
„ permanere cum ſecundo. Huius autem
„ quæſtionis deciſio ab alia pendet quam an-
„ tea proponebamus: etenim ſi matrimo-
„ nium Titii cum Nævia reſciſſum fuit, ſta-
„ tim ac Nævia interpellata renuit cum Ti-
„ tio legitime cohabitare, uti opinantur Do-
„ ctores primæ ſententiæ, valide profecto po-
„ tuit eadem Nævia alteri ſe copulare viro,
„ cum quo propterea perſeverare debet, et-
„ iam cum ambo Chriſtianorum ſacris initiati
„ ſunt. At ſi matrimonium in infidelitate
„ contractum, tunc ſolum diſſolvitur, quan-
„ do coniux converſus aliud coniugium init,
„ uti exiſtimant Doctores ſecundæ ſententiæ,

 „ cum

„ cum Titius, in caſus, aliam non duxerit uxorem, illegitimum certe fuit novum matrimonium a Nævia, nondum a priore vinculo ſoluta, contractum; atque idcirco, cum chriſtianam fidem amplectitur, tenetur ad primum virum redire. Verum cum res contigerit Florentiæ anno 1726. & de ea diſceptaretur in ſacra Congregatione Concilii, Nos pro noſtro, quod tunc gerebamus, Secretarii munere diſſertationem elucubravimus, qua luculenter oſtendimus, ex enuntiatis ſententiis poſteriorem eſſe tam inter antiquos, quam inter recentiores Theologos & Canoniſtas fere communiter receptam: ex quo concluſimus, virum hebræum, de quo res erat, quique cum ſecunda uxore, quam, juxta præmonſtratum caſum, duxerat, baptiſmum petebat, poſt illud ſuſceptum teneri redire ad primam jampridem chriſtianam factam, & adhuc perſeverantem innuptam. Et ſacra Congregatio ne latum quidem unguem a noſtra ſententia receſſit, eoque libentius eam eſt amplexata, quod, Nobis pariter ſuggerentibus, compererit, ita conſentientibus Theologis, in conſilium adhibitis, fuiſſe ab eadem definitum anno 1679. & 1680. in ſimili caſu, qui Florentiæ quoque evenerat: quæ omnia legenda ſunt in *Theſaur. reſolut. Tom. III. pag. 346. & 352. & ſeqq.*

„ 5. Alter ejuſdem cauſſæ articulus, ſacræ Congregationis diſcuſſioni tunc quoque propoſitus, indeciſus remanſit: quærebatur itidem, an ſaltem jus eſſet ſummo Pontifici, primum matrimonium in infidelitate contractum, & conſummatum ſuprema ſua auctoritate relaxandi, veniamque concedendi conjugi tardius ad fidem converſo, ut in prædictis rerum circumſtantiis poſſet cum ſecunda uxore permanere. Opportuna etiam de hac, longe utique graviori, quæſtione fuit a nobis exarata diſſertatio, quæ extat *Tom. IV. cit. Theſaur. reſol. p. 30. & ſeq.* in qua plures allegavimus Doctores, hanc poteſtatem Pontifici aſſerentes, ſimulque contendentes, eam reipſa exercuiſſe S. Pium V. & Gregorium XIII. ſicut in citata diſſertatione fuſe habetur. Sed ſacra Congregatio ſatius duxit a ferenda ſententia ſe abſtinere: quoniam etiam data Pontifici poteſtate reſcindendi prius vinculum conjugii in infidelitate contracti, nihilominus, quod Nos ſacræ Congregationi inſinuare non prætermiſimus, merito dubitabatur; num eæ adeſſent graviſſimæ cauſſæ quæ neceſſariæ ſunt ut per apoſtolicam diſpenſationem dirimatur. “

V. Quæſt. III. *An matrimonium baptizati cum non baptizata ſit jure eccleſiaſtico irritum?* Reſp. Affirmant omnes: idque evincunt ex uſu & conſuetudine immemorabili Eccleſiæ, a ſummis Pontificibus approbata. Et hoc nititur ipſo naturali divinoque jure, ut indicatum eſt ſupra. Vetat quippe matrimonium iſtud, ſubverſionis periculum. Accedit quod baptizatus tenetur inire matrimonium ut ſacramentum. Conjux autem non baptizatus nullius ſine baptiſmo ſacramenti capax eſt. Quare ſi fidelis catechumenam nondum baptizatam duceret, matrimonium irritum eſſet; quia cum baptiſmus ſit janua ſacramentorum, non poteſt, antequam illum ſuſcipiat, matrimonii ſacramentum celebrare.

VI. Quæſt. IV. *An ſummus Pontifex diſpenſare valeat, ut fidelis nubat infideli?* Reſp. Si inſtet ſubverſionis periculum, nullo modo diſpenſare valet; cum hoc intrinſecus malum ſit. Hoc periculo ſublato, & juſta gravique cauſſa occurrente, tunc Theologi plures docent, illum diſpenſare poſſe. Peccaret enim, inquiunt, ſi abſque juſta cauſſa diſpenſationem impertiret. Hæc namque matrimonia ſunt ipſo divino jure abſolute prohibita; ut ex allatis divinæ Scripturæ teſtimoniis conſtat, Apoſtolo *I. Corinth.* VII. inquiente: *Cui vult, nubat, tantum in Domino.* Quare, niſi adſit cauſſa, ob quam Pontifices ſummi interpretari valeant, divinum jus non prohibere hoc in caſu ejuſmodi matrimonia, nequeunt diſpenſationem impartiri. Siquidem quæ jure divino vetita ſunt, diſpenſationi pontificiæ non ſubjacent. At aliquo in caſu jus divinum hæc matrimonia non vetat.

VII. Quæſt. V. *Matrimonia Catholicorum cum hæreticis ſunt ne lege divina, aut eccleſiaſtica prohibita?* Reſp. Sanchez, Azorius, Pontius, & alii humana tantum lege prohibita aſſerunt, contra quam præſcribi poſſe contendunt: unde inferunt illorum aliqui, haud opus eſſe diſpenſatione iis in locis in quibus Catholici cum hæreticis immixti ſunt, quod ibi ejuſmodi matrimonia ſint quodammodo neceſſaria.

VIII. Alii Theologi, & quidem graviores, affirmant, dicta matrimonia jure divino prohiberi: idque evincunt plurimis ſacræ Scripturæ, & Conciliorum teſtimoniis. Deinde argumentantur. Si matrimonia fidelium cum infidelibus vetita jure divino ſunt; potiori jure prohibentur matrimonia Catholicorum



cum hæreticis. Quoniam hæretici ſunt excommunicati; ergo non ſunt in arctiſſimum conjugalis ſocietatis fœdus admittendi. Hæreſis enim peſſimum eſt infidelitatis genus, inquit Eſtius in *IV. diſt.* XXXIX. §. 4. eoque minus cum iis permitti conjugia debent, quo & periculoſior eſt cum illis converſatio, & difficilior eorum converſio. Allegant auctoritatem Concilii Burdigalenſis II. an. 1624. ubi hæc habentur. *Periclitatur admodum fides contrahentium, ſi cum ſit unus conjugum hæreſi infectus, & pertinaciter in ea perſeveret, alter non ſine peccato, & irreverentia ſanctæ matris Eccleſiæ rogatur jugum trahere* [illegible] *.... Et experientia ſit compertum, etiam ex Catholicis non paucos talibus matrimoniis a fide orthodoxa defeciſſe.* Et tametſi nullum periculum conjugi eſſet, magnum tamen proli naſcituræ detrimentum imminet. Hæc enim ab utroque parente educari debet. Porro quæ vis, quæ fraus a marito hæretico timeri non debet? Quid pſeudoministri non agent, ut hæreſis veneno pueros inficiant, atque in ſuos pertrahant errores? Quid quod parentum exempla incredibili vi filios impellunt ad eadem imitanda? Urgent Eccleſiæ Græcæ diſciplinam quæ a pluribus ſæculis ejuſmodi matrimonia irrita declaravit, ut ex Concilio Trullano can. LXXII. conſtat. *Non licere virum orthodoxum cum muliere hæretica conjungi, neque vero orthodoxam cum viro hæretico copulari; ſed ſi quid ejuſmodi a quopiam factum apparuerit, irritas nuptias exiſtimari, & nefarium conjugium diſſolvi. Neque enim ea quæ non ſunt miſcenda, miſcere, nec ovem cum lupo, nec peccatorum ſortem cum Chriſti parte conjungi oportet.*

IX. Reſpondet Sanchez, Trullanos canones nullius eſſe auctoritatis. Ecce! Baſilius Pontius reponit, priſcis illis canonibus derogaſſe oppoſitam conſuetudinem. Alii melius interpretantur, Trullanum canonem accipiendum eſſe de ſeparatione fidelis conjugis a conjuge hæretico, qui cum illo cohabitare renuit. Subditur enim ibidem: *Si fideli homini placeat cum infideli cohabitare, aut e contra, ne a ſe invicem ſeparentur: ex divini enim Pauli ſententia ſanctificatus eſt infidelis vir in muliere, & ſanctificata eſt mulier infidelis in viro.*

X. Inſiſtunt primi ſententiæ patroni. Quamquam licitum ſit, gravi urgente neceſſitate, pecuniam ſub fœnore accipere ab uſurario, & ſacramenta petere a Paſtore ſacrilego; nulla tamen urgente neceſſitate illicitum eſt fœnora exercere, vel ſacramenta indigne ſuſcipientibus, & publicis peccatoribus adminiſtrare, aut eadem conficere in ſtatu peccati mortalis. Matrimonium autem ſacramentum eſt, & cum hæreticis celebratum indigne perficitur, recipiturque; adminiſtratur publicis peccatoribus, atque a Chriſti corpore excommunicationis gladio præciſis. Quid quod in multorum ſententia ipſi contrahentes ſunt miniſtri, illudque ſibi invicem adminiſtrant? Hæreticus ergo notorius, & excommunicatus conficit ſacramentum, & miniſtrat catholico, & catholicus hæretico. Quid autem magis cum lege naturali, & divina pugnat? Ad diſpenſationem conceſſam a Clemente VIII. quam opponit contraria ſententia, reſpondent cum Spondano ad annum 1600. diſpenſationem ſæpius petitam conſtanter Pontificem ſummum denegaſſe ob ſeductionis & perverſionis periculum: & tandem, *importunitate fere magis*, inquit Spondanus, *quam libera Clementis voluntate, impetrata fuit illa diſpenſatio.*

XI. Quam ſint argumenta quæ hactenus perſtrinxi, efficacia, & urgentia, judicare quiſque valet. Tanta ea fecit Juvenin in Comment. *diſſ.* X. *quæſt.* VII. *cap.* VI. ut docuerit, præfata matrimonia repugnare juri naturali, & nunquam permitti debere. Quæ opinio licet communiter explodatur, tamquam falſa; ex præfatis tamen rationibus colliget prudens lector, quam grave periculum ſit, Catholicum conjugium inire cum hæreticis, & quam ſint ejuſmodi matrimonia illicita; cum ipſi Pontifices ſummi, non niſi in cauſſa graviſſima, & urgentiſſima, & ad graviora vitanda incommoda, eadem permittant.

## §. VII.

*De impedimento violentiæ, ſeu coactionis, & ligaminis.*

I. HOC impedimentum oritur ex vi, aut metu quo quis cogitur ad matrimonium contrahendum. Plurimi ſunt canones qui hoc impedimentum dirimens conſtituunt, & referuntur in *IV. Decr. tit.* I. Diſtinguenda eſt vis qua quis a principio extrinſecus compellente movetur omnino reſiſtens, atque invitus, & metus quo quis aliquid eligit, quod, ſublato illo timore, non eligeret. Violentia expoſita omnem excludit deliberationem. Metus autem tum matrimonium dirimit, quando ſit talis qui cadat in virum conſtantem; ut ſupra *cap.* II. *quæſt.* IX. explicatum eſt. Vide ibidem dicta, ne actum agam.

II. Impedimentum ligaminis illud eſt quod conjugati contrahunt ex matrimonio, dum aliam uxorem, vivente priore, ducunt. De hoc quoque impedimento ſupra diſputatum eſt, ubi, quo iure polygamia vetita ſit, demonſtravi. Quæ hic dicenda forent, ibi videri poſſunt.

## §. VIII.

*De impedimento publicæ honeſtatis.*

I. PUblica honeſtas eſt propinquitas quædam oriens ex matrimonio rato, nondum conſummato, & ex ſponſalibus celebratis per verba de futuro. Hoc impedimentum oriri ex ſponſalibus omnes fatentur. De matrimonio rato aliqui olim dubitarunt. Verum ſi ſponſalia, quæ via ſunt ad matrimonium, hoc inducunt impedimentum; illud longe magis parit matrimonium ratum, quod minus a matrimonio conſummato diſtat.

II. Quæſt. I. *Inter quos impedimentum publicæ honeſtatis contrahatur, & ad quem gradum?* Reſp. Iure antiquo hoc impedimentum contrahebatur inter conſanguineos coniugis, ſeu ſponſæ uſque ad quartum gradum; ut conſtat ex cap. *Non debet* de conſang. & affinit. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *c.* 3. illud coarctavit his verbis: *Iuſtitiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacumque ratione valida non erunt, S. Synodus prorſus tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus iam non poteſt huiuſmodi prohibitio abſque diſpendio obſervari.* Hoc igitur impedimentum nunc ſolum contrahitur inter ſponſum & matrem, & ſororem ac filiam ſponſæ, vel inter ſponſam & patrem, fratrem, ac filium ſponſi; dum tamen valida fuerint ſponſalia prius contracta. Si hæc aliquod ex capite invalida fuere, nullum oritur impedimentum. Decretum tamen Tridentinum reſtrinxit impedimentum ex ſponſalibus, ſecus ex matrimonio rato ortum, ut Theologi, & Canoniſtæ docent. Et ita declaravit S. Pius V. in Brevi edito an. 1568. cuius initium eſt, *Ad Romanum*, inquiens: *Idcirco motu proprio, auctoritate apoſtolica, tenore præſentium declaramus, & definimus, decretum Concilii huiuſmodi omnino intelligendum eſſe, & procedere in ſponſalibus de futuro dumtaxat, non autem in matrimonio, ut ſic præfertur, contracto; ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus quod de iure veteri ante prædictum decretum Concilii introductum erat, & ita ab omnibus iudicari debere mandamus atque ſtatuimus.*

III. Impedimentum igitur ex matrimonio rato ortum uſque ad quartum gradum extenditur, quia iure antiquo ſic ſtatutum erat: idque verum habet, etiamſi matrimonium ratum invalidum fuerit; dummodo fuerit nullum ex defectu conſenſus, aut in præiudicium priorum ſponſorum: quia ius antiquum ita decrevit: quod ius hac in parte reſtrictum non eſt, ut communiter Auctores docent. Ex ſponſalibus quocumque ex capite invalidis nullum oritur impedimentum: quia ita ſtatuit Tridentinum *loc. cit.* An matrimonium ratum, invalidum defectu conſenſus interni, inducat hoc impedimentum, diſputant in utramque partem Auctores. Sanchez, Leander, Henriquez, Pontius defendunt, matrimonium nullum ex ſolo defectu interni conſenſus, inducere impedimentum iſtud, ſicut & ſponſalia ex quocumque impedimento occulto nulla: quia, inquiunt, Eccleſia hoc impedimentum conſtituit ad indecentiam declinandam, quæ oritur ex hoc quod ſponſus contrahat cum conſanguinea ſuæ uxoris. Porro quando ſponſalia, & matrimonium ratum ſunt publice valida, & ſolum irrita ex occulto defectu conſenſus interni, iam habetur indecentia, ad quam vitandam impedimentum inductum eſt. Contra ſentiunt Bonacina, Dicaſtillus, Caſtropalaus, Ledeſma, Hurtadus, & alii, quos citant & ſequuntur Salmanticenſes *cap.* XII. *punct.* 7. *num.* 85. Si argumentatio, inquiunt, facta conſiſteret, ex ſponſalibus veris, ſed occultis nullum oriretur impedimentum: quia tunc non appareret talis indecentia. Hoc autem prioris ſententiæ patroni non concedunt: negare ergo debent & primum. Pro hac ſecunda opinione Barboſa, Farinacius, & Rebellus referunt deciſionem Sacræ Congregationis. Et certe hæc ſecunda opinio conformior videtur Tridentino. Hinc præfati Auctores inferunt, impedimentum publicæ honeſtatis non oriri ex ſponſalibus, aut ex matrimonio rato, contractis per metum & per errorem perſonæ: quia tunc nulla ſunt ob defectum neceſſarii conſenſus. Circa matrimonium ratum conſiſtit ius antiquum, nempe quod pariat impedimentum, etiamſi invalidum fuerit, dummodo non ex defectu conſenſus interni.

IV. Quæſt. II. *An ex matrimoniis clandeſtinis nullis oriatur impedimentum publicæ honeſtatis?* Reſp. Negant Dicaſtillus, Coninchius, & alii. Sed hæc opinio falſa eſt,

& con-



& contraria declarationi S. Pii V. ſupra relatæ. Accedit quod in cap. *de Sponſ. in VI.* ſolum excipitur matrimonium directe irritum ob defectum interni conſenſus. Matrimonia clandeſtina irrita ſunt non ex defectu interni conſenſus, ſed ob omiſſionem ſolemnitatum, quæ efficiunt conſenſum dumtaxat illegitimum: hoc autem evenit in omni matrimonio quocumque ex capite nullo. Aſſerendum ergo, ex matrimonio clandeſtino impedimentum publicæ honeſtatis oriri, ſicut ex quolibet alio matrimonio invalido, excepto illo quod tale eſt ob defectum interni conſenſus.

V. Quæſt. III. *An hoc impedimentum publicæ honeſtatis ſit perpetuum?* Reſp. Hoc impedimentum ortum ex matrimonio ſemper durat. Si contraxiſti cum Berta, quæ moriatur ante matrimonii conſummationem, numquam ducere poteris, diſpenſatione ſublata, illius matrem, ſororem, & filiam, aut alias conſanguineas uſque ad quartum gradum. Si hoc impedimentum ſponſalia inducant, & ob mortem ſponſæ diſſolvantur, numquam cum eiuſdem matre, ſorore, vel filia contrahere licebit; ut habetur cap. *Sponſ.* de ſponſ. & cap. *Fraternitatis* XXXV. quæſt. 2. Quid ſi ſponſalia mutuo conſenſu diſſolvantur? Periiſſet ne tunc impedimentum? Negant plures, Caſtropalaus, Gonet, Diana, Leander, & alii; quia, inquiunt, hæc ſponſalia poſt diſſolutionem non reputantur valida abſolute a Concilio; ſed dumtaxat ſecundum quid, & ad tempus. Ergo ex eiſdem impedimentum publicæ honeſtatis non oritur. Hæc argumentatio futilis eſt, & opinio falſa. Licet enim poſt diſſolutionem, ex mutuo conſenſu peractam, nulla ſint ſponſalia, ante diſſolutionem tamen valida omnino erant. Ex ſponſalibus autem validis, iuxta Tridentinum, impedimentum publicæ honeſtatis oritur. Hoc autem impedimentum, ſemel conſequens valida ſponſalia, natura ſua perpetuum eſt. In poteſtate ſponſorum eſt ſponſalia contracta diſſolvere, ſecus impedimentum inde conſequens auferre. Sponſalia propria illorum voluntate contracta ſunt: ideo dirimere eadem valent. Impedimentum ſponſalia conſequens abſque illorum voluntate conſtitutum ab Eccleſia eſt: ergo hæc ſola auferre impedimentum illud valet.

VI. Quæſt. IV. *Ex ſecundis ſponſalibus, aut nuptiis oritur ne impedimentum publicæ honeſtatis?* Reſp. Contraxiſti cum Berta ſponſalia: poſtea ſponſalia celebraſti cum Nævia ſorore Bertæ. Valide ne contrahere matrimonium cum Berta potes? Proculdubio potes, quia ſecunda ſponſalia nulla fuerunt ob impedimentum publicæ honeſtatis, ortum ex prioribus ſponſalibus. Si contraxiſti cum Nævia, matrimonium nullum eſt. Et ex matrimonio nullo, quod cedit in detrimentum præcedentium ſponſorum, impedimentum non oritur. Si vero cum Nævia matrimonium conſummaſti, neque cum hac, neque cum Berta contrahere potes. Non cum Berta quia ratione copulæ carnalis contraxiſti impedimentum affinitatis: non cum Nævia, quia ex prioribus ſponſalibus celebratis cum Berta ligatus es impedimento publicæ honeſtatis. Tandem ex ſponſalibus contractis cum perſonis incertis, puta cum una ex filiabus Pauli, nullum oritur impedimentum: quia irrita ſunt ex defectu neceſſarii conſenſus: ſicut nec oritur ex ſponſalibus conditionatis, ante eventum conditionis.

## §. IX.

*De impedimento affinitatis.*

I. QUæſt. I. *Quid ſit affinitas?* Reſp. Eſt *propinquitas perſonarum ex copula carnali proficiſcens.* Ex copula neceſſaria eſt quæ ſufficit ad matrimonii conſummationem. Affinitas hæc ex copula tam licita, tam fornicaria oritur, duratque in perpetuum. Conſanguinei viri non fiunt per carnalem copulam affines conſanguineis feminæ, nec e contrario: quia affinitas non parit affinitatem. Solus ergo ille qui copulam carnalem habuit, fit affinis cum conſanguineis feminæ, & femina cum conſanguineis viri.

II. Quæſt. II. *In quo gradu affinitas dirimat matrimonium ſubſequens?* Reſp. Affinitatem eſſe impedimentum dirimens matrimonium, extra controverſiam eſt inter Catholicos. Iure antiquo impedimentum illud extendebatur uſque ad ſeptimum gradum. Concilium Tridentinum illud ex copula licita ad quartum, ex copula fornicaria ad ſecundum uſque incluſive reſtrinxit.

III. Quæſt. III. *Quo iure, naturali, an poſitivo, affinitas dirimat matrimonium?* Reſp. Certum eſt ex copula fornicaria nullum naturæ iure impedimentum oriri, ſive in linea recta, ſive in tranſverſa. Communis quoque & certa ſententia eſt adverſus Calviniſtas, affinitatem ortam ex licita copula non parere iure naturæ impedimentum dirimens matrimonium. Nam in lege naturæ Iacob duas ſorores, Liam, & Rachelem duxit Gen. XXIX. In ſcripta *Deut.* XVIII. præcipitur, nedum



per-

permittitur, ut ſi frater abſque liberis decedat, eiuſdem ſuperſtes frater accipiat uxorem defuncti, & ſuſcitet eius ſemen. In novo teſtamento nihil occurrit quod hoc prohibeat. Nam *Matth.* XIX. & *Marc.* VI. Ioannes Baptiſta redarguit Herodem, quod uxorem fratris ſui Philippi in coniugem accepiſſet, vivente adhuc Philippo. Accedit quod, etiamſi Philippus fuiſſet mortuus, adhuc reprehenſibilis Herodes fuiſſet: quia Philippus filiam, Herodiadem nempe ſaltatricem, reliquerat. Lex autem *Levit.* XVIII. prohibebat fratrem ducere uxorem fratris, quando hic ſobolem reliquerat. Tandem ſummi Pontifices reipſa interdum diſpenſarunt in primo gradu lineæ tranſverſæ; ut Alexander VI. cum Emmanuele Rege Luſitaniæ, qui duas ſucceſſive ſorores duxit, Regis Hiſpaniarum filias; Iulius II. cum Henrico VIII. Angliorum Rege, qui Catharinæ viduæ fratris Arturi nupſit, quamvis poſtea privata auctoritate diſpenſationem invalidam cauſſatus, illam repudiaverit, unde ſchiſma manavit Anglicanum.

IV. Quæſt. IV. *An in primo gradu lineæ rectæ affinitas pariat iure naturæ impedimentum dirimens?* Reſp. Negant Pontius, Sanchez, Ledeſma, Gonet & alii, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *cap.* XII. *num.* 100. idque probant ex *III. Reg. cap.* II. ubi Adonias petit Abiſag uxorem patris ſui. Rurſus Concilium Arelatenſe prohibet matrimonium inter privignum & novercam relictam ex patre contrahendum: contractum vero ante prohibitionem ſuſtinendum eſſe decernit. Contra Soto in *IV. diſt.* XLI. *qu. unic. art.* III. Bellarminus *Lib. I. de matrimon. cap.* XXVIII. Valentia *Tom. IV. diſp. X. qu. V. punct.* 3. Vaſquez *Tom. II. quæſt.* LXXIV. *artic.* 8. *diſput.* CXII. *num.* 7. & alii affirmant, iure naturæ vetitum eſſe matrimonium in primo gradu lineæ rectæ affinitatis, ut inter privignum & novercam, inter ſocerum & nurum. Evincunt pluribus Scripturarum teſtimoniis, & ratione: quia tanta reverentia debetur uxori patris, quanta ipſi patri. Hæc ſecunda opinio videtur probabilior, ſed res tanti non eſt, ut ſeverius diſcutiatur.

### §. X.

*De impedimento impotentiæ.*

I. P. Thomas Sanchez in ſuis tribus voluminibus de re uxoria tam fuſo calamo hanc coeundi impotentiam verſat, ut non minus quam XXIII. diſputationibus illam explanare operæ pretium iudicaverit. Non omnibus datum eſt quæſtiones quas Auctor ille diſtincte enucleat, & præcipue diſpicit, ſalvo pudore, & honeſtate tractare. Præcipua capita ea qua potero cautione attingam ne ne vel calamus ipſe materiam adeo lutulentam verſando maculetur.

II. Quæſt. I. *Quid ſit, & quotuplex impotentiæ impedimentum?* Reſp. Eſt *ineptitudo ad exercendam copulam coniugalem cum penetratione vaſis muliebris, & effuſione ſeminis intra illud apta ad prolis generationem.* Hæc impotentia alia ſupervenit, alia antecedit matrimonium: alia eſt perpetua, ad tempus alia: alia naturalis, & intrinſeca: alia accidentalis, & extrinſeca. naturalis alia ex defectu ætatis; alia ex defectu caloris in viro; alia ex nimia coarctatione partium in femina. Rurſus naturalis, alia abſoluta reſpectu omnium; alia reſpectiva, ideſt in viro reſpectu harum, non aliarum feminarum, & in femina reſpectu horum, non aliorum hominum. Accidentalis alia eſt a natura, ut in ſenibus; alia ab homine, ut in eunuchis; alia a dæmone, ut in maleficiatis.

III. Quæſt. II. *Quo iure, & quomodo impotentia abſoluta, & perpetua dirimat matrimonium?* Reſp. Impotentia abſoluta viri reſpectu omnium feminarum, & feminæ reſpectu omnium virorum perpetua dicitur, quæ nullo remedio, nullaque arte licita auferri poteſt. Hæc autem impotentia ſola matrimonium dirimit. Et quamvis hæc impotentia aut per aliquod peccatum, aut per miraculum, aut per remedium, mortis periculum inducens, auferri poſſet; nihilominus nullum eſſet matrimonium, ut ex cap. *Fraternitatis* conſtat. Superveniente tamen facultate coeundi, poterunt vel priſtinum redintegrare, vel aliud inire coniugium. Qui conſcii, aut dubii ſunt propriæ impotentiæ peccant mortaliter contrahentes.

IV. Impotentia quoque reputatur illa, qua vel propter nimium calorem, aut arctationem feminæ immitti ſemen aut in totum, aut in partem intra vas naturale non poteſt, quando nullo remedio tolli hoc impedimentum queat: quoniam neceſſaria eſt facultas ad copulam aptam generationi prolis. Hæc autem impotentia naturalis & perpetua tam naturali, quam eccleſiaſtico iure matrimonium dirimit, ut omnes fatentur.

V. Quæſt. III. *An, quando ambo coniuges ſunt conſcii impotentiæ, validum contrahere matrimonium poſſint?* Reſp. Impotentia aut poteſt eſſe mutua, aut in uno ſolo coniuge,

nota



nota tamen utrique. Diſputant Auctores, an tunc poſſit pars potens, aut ambo impotentes, conſcii mutuæ impotentiæ, cedere iuri ſuo, & matrimonium contrahere. Quod valeant quoddam ſocietatis fœdus inire ad mutua obſequia præſtanda, aut poſt contractum matrimonium, & deprehenſa impotentia, nolint ſeparari, poſſintque habitare ut frater & ſoror, dummodo periculum incontinentiæ abſit, hoc illis permittitur, ut plures docent, colliguntque ex cap. *Conſult.* de frigid. & malef. Affirmant etiam plures, poſſe prælatas perſonas cedere iuri ſuo, & validum contrahere matrimonium. Verum opinio negans non modo probabilior, ſed vera eſt. Impotentes enim a iure declarantur inepti ad matrimonium, nullo diſcrimine facto inter ſcientes, & ignorantes talem impotentiam. Abſurda quæ hinc ſequerentur, obvia ſunt.

VI. Impotentia temporalis non dirimit matrimonium, ut habetur cap. *Fraternitatis*, & docent omnes. Illa vocatur impotentia ad tempus quæ abſque peccato, periculo vitæ, aut artificio tolli valet. Validum eſt matrimonium, contractum etiam cum neſciente talem temporalem impotentiam. Peccant tamen mortaliter qui, vel quæ eiuſdem conſcia contrahit, ob iniuriam illatam parti, & ob alia abſurda inde conſequentia. Qui vera coeundi facultate pollent, validum ineunt matrimonium, etiamſi ſteriles ſint vel a natura, vel ob ſenectutem.

VII. Quæſt. IV. *Quando impotentia ex parte feminæ dicenda eſt perpetua?* Reſp. Mulier impotens reputatur, quando in ea pudoris clauſtra ita arcta ſunt, ut abſque peccato, aut mortis periculo reſerari licitis remediis nequeant. Dicitur *[illegible]*, quia ſi virgo eſſet arcta reſpectu ſui mariti, & fieri ab alio apta poſſet, laborare cenſeretur perpetua arctitudine, ſeu impotentia; quia abſque peccato tolli nequit. Si vero feminæ arctitudo licita arte humana auferri poſſit, aut vi medicinarum, aut inciſione, ſublato omni probabili periculo mortis, tunc non adeſt impotentia dirimens matrimonium, etiamſi ipſa recuſet remediorum uſum. Sat enim eſt quod auferri impotentia poſſit, ut matrimonium ſit validum. Talis enim impotentia tunc eſſet voluntaria, quæ dirimere matrimonium nequit. Obſtricta autem femina eſt uſum remediorum adhibere, & inciſionem pati, etiam cum gravi dolore & moleſtia. Si tamen morbus eſſet graviſſimus, & ſectio diuturna, libera femina eſſet: aut ſi vir remitteret debiti redditionem, vel ſi femina ingredi Religionem vellet.

VIII. Diſputant Theologi, quid agendum, ſi medici ambigerent, utrum inciſio, aut medicamina illatura eſſent mortis periculum? Et communior opinio docet, præſumendum eſſe tale periculum. Quid, ſi Medici decernerent adeſſe periculum mortis, & poſtea conſtaret experimento falſam fuiſſe illorum opinionem, atque femina ad copulam evaſiſſet? Tum validum eſſe matrimonium docent, & mulierem reddendam viro ſuo, etiamſi ad ſecundas nuptias tranſiiſſet: quia ſecundum matrimonium fuiſſet nullum.

IX. Quæſt. V. *Quid de impotentia reſpectiva dicendum?* Reſp. Si viri inſtrumentum ita ſit excedens, ut nequeat talem feminam cognoſcere, & feminæ arctitudo talis ſit, ut huic viro ſit inepta; & hæc impedimenta licita auferri remediis nequeant; tunc impotentia eſſet perpetua, & matrimonium nullum, tametſi & femina reſpectu alterius viri, & vir reſpectu alterius feminæ apti, & proportionati eſſent. Quoniam cum matrimonium ſit inter has duas determinatas perſonas, non ſufficit facultas ad coeundum in genere, ſed neceſſaria eſt aptitudo inter has duas perſonas fœdere coniugali iunctas.

X. Si vir aut debilis, aut ita ſenex ſit, ut nequeat virginem, bene vero corruptam agnoſcere, & poſſit arte honeſta iuvari ad virginem cognoſcendam, tenetur vir hæc adhibere remedia; ut ex cap. *Fraternit.* colligitur. Si vero non aliunde iuvari poſſit, niſi femina patiente inciſionem, & tractionem clauſtri pudoris; tunc omnes fatentur feminam, ſi velit, tale incommodum ſuſtinere poſſe: ad obligationem autem quod attinet, alii dicunt ad id eſſe obſtrictam, alii affirmant eſſe liberam. S. Thomas in *Suppl. quæſt.* LVIII. *art.* 1. *ad* 4. hæc habet. *Dicendum, quod non poteſt eſſe perpetuum impedimentum naturale viri reſpectu unius perſonæ, & non reſpectu alterius; ſed ſi non poſſit implere carnalem actum cum virgine, & tamen poſſit cum corrupta; tunc medicinaliter aliqua inſtrumenta poſſunt clauſtra pudoris frangi, & ei coniungi. Nec eſſet hoc contra naturam: quia non fieret ad delectationem, ſed ad medicamentum. Abominatio autem mulieris non eſt cauſſa naturalis, ſed cauſſa accidentalis extrinſeca. Et ideo de ea eſt iudicium idem quod de maleficio.*

XI. Quando dubitatur, perpetua ne ſit impotentia, aut temporalis, Imperator Iuſtinianus ſtatuit triennii intervallum in l. *conſult.* cod. *de repudiis*, quo coniuges dare rei uxo-

riæ

riæ operam valeant, ut ſuas experiantur vires, adhibitis etiam opportunis licitiſque remediis. Hanc Imperatoris Iuſtiniani legem adprobavit Cœleſtinus III. in c. *Laudabilem* v. de frigid. &c. & in foris eccleſiaſticis tamquam lex canonica, inquit BENEDICTUS XIV. *Lib. VIII. de Synod. cap.* XXXVI. *num.* 2. allegatur, & ubique religioſe cuſtoditur. Quo intervallo elapſo, ſi impotentia perſiſtat, reputatur perpetua, & dirimens matrimonium. Plura diſputari de hoc experimento ſolent, de medicorum peritia, & remediorum efficacitate. Verum, ut mea præfert opinio, ſi coniuges ſint veri Chriſtiani, & optimis moribus bonoque iudicio præditi, ipſorum iudicium in hac cauſa omnium graviſſima in qua de ipſorum æterna ſalute, pace, & tranquillitate agitur, medicorum, & extraneorum iudicio prævalere debet. Ipſis enim ſolis experimentorum potentiæ, aut impotentiæ compertum eſt. Si paſſione, odio, inimicitia, tædio, & faſtidio motus rem ipſam agunt, & temporali, & æterno diſcrimini ſe committunt. Aliqui impotentes ſunt reſpectu feminæ deformis, & ad pulchræ conſpectum commoventur, aptique ad concubitum ſiunt. Tum femina blanditiis, ornamentis licitis, honeſtiſque amabilem ſe viro reddere tenetur, eumque ad ſe allicere. Si poſt triennium remedia hæc ſint inepta & nulla, impotentia eſt perpetua, & matrimonium nullum, & quod dicitur de femina reſpectu viri, idem de viro reſpectu feminæ dicendum eſt.

XII. Quæſt. VI. *Quid de impotentia accidentali dicendum eſt?* Reſp. Impotentia accidentalis, proficiſcens ex defectu ætatis, in pueris reddit nullum matrimonium iure eccleſiaſtico, quo illis prohibetur matrimonium ante annos pubertatis, ut dictum eſt, niſi malitia ſuppleat ætatem. Hoc tamen impedimentum non irritat matrimonium iure naturæ: quia impotentia non eſt perpetua, ſed temporalis. Senectus non eſt impedimentum dirimens matrimonium, ut S. Thomas in *Suppl. quæſt.* LVIII. *art.* 1. *ad* 3. docet, inquiens: *Senes quamvis quandoque non habeant ſoliditatem ſufficientem ad generandum; tamen habent ſoliditatem ſufficientem ad carnalem copulam. Et ideo conceditur eis matrimonium, ſecundum quod eſt in remedium; quamvis non competat eis ſecundum quod eſt in officium naturæ.* Accedit uſus Eccleſiæ, ſenum matrimonia adprobantis. Si tamen impotentes eſſent ad coeundum modo apto ad generationem, matrimonium nullum eſſet: quia impotentia eſſet perpetua, licet ex accidentali cauſa manans. Moribundi rationis compotes valide contrahunt, quia illorum impotentia eſt temporalis. Spadones qui utroque teſticulo deſtituti ſunt, nequeunt valide contrahere: qui vero uno tantum teſticulo carent, apti matrimonio ſunt: qui ambos contuſos habent, ſuntque eunuchi imperfecti, non poſſunt contrahere: quia reputantur inepti ad generationem ex ſeminis imperfectione.

XIII. Quæſt. VII. *Quid dicendum de impotentia ex maleficio proveniente?* Reſp. Fervet, dum hæc ſcribimus, controverſia de arte magica: quam, ut meram chimæram, reiicere, atque inter nimium credulos, ridiculoſque homines illos collocare qui eamdem defendunt, quidam minime dubitant. Verum illi non plus ſuo ſibi fidant, ſed audiant S. Thomam qui in *Supplem. quæſt.* LVIII. *art.* 2. hæc ſcribit. *Quidam dixerunt, quod maleficium nihil erat in mundo, niſi in æſtimatione hominum, qui effectus naturales, quorum cauſæ ſunt occultæ, maleficiis imputabant. Et hoc eſt contra auctoritatem Sanctorum, qui dicunt, quod dæmones habent poteſtatem ſupra corpora, & ſupra imaginationem hominum, quando a Deo permittuntur; unde per eos malefici aliqua ſigna facere poſſunt. Procedit autem hæc opinio ex radice infidelitatis, ſive incredulitatis: quia non credunt eſſe dæmones, niſi in æſtimatione vulgi tantum, ut terrores, quos ſibi facit homo ex ſua æſtimatione, imputet dæmoni; & quia etiam ex imaginatione vehementi aliquæ figuræ apparent in ſenſu tales, quales homo cogitat; & tunc creduntur dæmones videri. Sed hæc vera fides repudiat, per quam angelos de cælo cecidiſſe, & dæmones eſſe credimus, & ex ſubtilitate ſuæ naturæ multa poſſe quæ nos non poſſumus: & illi qui eos ad faciendum talia inducunt, malefici vocantur.*

*Et ideo alii dixerunt, quod per maleficia præſtari poteſt impedimentum carnali copulæ. Sed nullum tale eſt perpetuum: unde non dirimit matrimonium contractum: & dicunt, iura eſſe revocata, quæ hoc dicebant. Sed hoc eſt contra experimentum, & contra nova iura, quæ cum antiquis concordant.*

*Et ideo diſtinguendum eſt. Quia impotentia coeundi ex maleficio aut eſt perpetua, & tunc matrimonium dirimit: aut non eſt perpetua, & tunc non dirimit. Et ad hoc experiendum eodem modo Eccleſia tempus triennii præfixit, ſicut & de frigiditate dictum eſt . . . . . Tamen hæc differentia eſt inter maleficium & frigiditatem: quia qui propter frigiditatem eſt impotens, ita eſt impotens ad unam, ſicut ad aliam: & ideo quando matrimonium dirimitur, non datur licentia ei ut coniungatur alteri: ſed ex maleficio homo poteſt eſſe impotens ad unam, & non ad aliam: & ideo quando iudicio Eccleſiæ matrimonium dirimitur, utrique datur licentia ut alteram copulam quærat.* Legantur argumenta eiuſdem articuli, ubi ſophiſmata quæ hodie ut recentia obtruduntur, relata, & diluta occurrunt.



XIV. Maleficium illud, quo perturbantur connubia, eſt faſcinatio, qua, ne coire uxorati valeant, impediuntur. De hac faſcinatione inquit Ovidius *Lib. III. Amor. eleg.* VII.

*Quis vetat & magicas nervos torpere per artem?*

Quid facilius dæmoni, quam ut frigeſcant membra quæ generationi inſerviunt, efficere? At inquiunt, opus Dei fortius eſt opere diaboli. Reponit S. Thomas *loc. cit. ad* 2. quod *opus Dei poteſt opere diaboli impediri, divina permiſſione.* Quod reponunt, diaboli poteſtatem ad hæc maleficia peragenda penitus ſublatam eſſe poſt Chriſti adventum, purum putumque commentum eſt: unde conſequitur, neque energumenos amplius reperiri, neque exorciſmis opus eſſe. Verum hæc obiter, & dicis gratia.

XV. Si hæc maleficia orationibus, ieiuniis, pœnitentia, exorciſmis Eccleſiæ intra triennium auferri nequeunt, tunc impotentia inde manans, perpetua iudicatur, & matrimonium irritum. Similiter perpetua cenſetur, ſi non poſſet niſi altero maleficio auferri. Numquam enim licet maleficium maleficio expellere, cum maleficium intrinſecus malum ſit, non ſecus ac mendacium.

XVI. Impotentia ſuperveniens matrimonio, ex quocumque capite proficiſcatur, nullo modo dirimere matrimonium valet. Eiuſmodi impotentes nequeunt conari ad concubitum, quando periculum ſit effundendi extra vas ſemen, & experimento didicerint ſe revera ineptos eſſe ad copulam. Quod ſi aliquando contingat eos vas penetrare, & intra illud ſemen immittere, licet ſæpius præter eorum animum aliter contingat, non ſunt ab officio uxorio prohibendi.

XVII. Quæſt. VIII. *Quid agendum, quando impotentia perpetua, & certa eſt, & quando de eadem dubitatur?* Reſp. Si hæc impotentia ante matrimonium certo cognoſcatur, neque admitti ad illud poſſunt, neque illi qui conſcii ſunt, ſe coniungere valent. Si contractum coniugium ſit, qui conſcius impotentiæ eſt, reclamare continuo debet, ut ab Eccleſia ſeparentur. Sanchez cum aliis docet, poſſe, ſublato ſcandalo, ipſos coniuges propria auctoritate ſe ſeparare.

XVIII. Si dubitatur, an impotentia ſit nec ne perpetua, an matrimonium ſit conſummatum, & ſufficienti adhibita diligentia, dubium perſiſtat, validum cenſendum matrimonium docent; & opponenti contra illud probationem incumbere. Si impotentia certa ſit, dubitetur vero, num anteceſſerit, an ſupervenerit, Sanchez cum aliis in favorem matrimonii iudicandum docet. Salmanticenſes *num.* 136. cum aliis ſuſtinent iudicandum impotentiam præceſſiſſe, irritumque eſſe matrimonium. Si dubitetur, an perpetua fuerit impotentia, reclamentque coniuges, in iudicio iurare coniuges debent, ſe numquam potuiſſe coire; ut colligitur ex cap. *Laudabilem* de frigid. & malef. ubi etiam plura alia præſcribuntur, nempe propinquorum teſtimonium, feminæ inſpectio facienda a feminis honeſtis, & viri ab aliis moratis viris. Verum ſi plura de hoc cupis, lege Sanchez *Lib. VII.* At, ut ſupra indicavi, eiuſmodi lites a coniugum conſcientia plurimum pendent. Si animo diviſi coniuges fuerint, & mutuo amore vacui, facile impotentiam evincent. Quare primum omnium illi quorum intereſt, coniugum animos expendere, monere, hortari, eorumque æternam ſalutem revocare ipſis in mentem debent. Si probatæ conſcientiæ fuerint, faciliime ſe impotentes demonſtrabunt aut reſpective, aut abſolute, prout magis arriſerit.

## §. IX.

### *De impedimentis clandeſtinitatis, & raptus.*

I. Impedimentum clandeſtinitatis, ſitum in matrimonio occulto, abſque Parochi, & teſtium præſentia contracto, iure eccleſiaſtico ſtatutum eſt. De hoc impedimento ſupra dictum ſufficienter fuit.

II. De raptu, prout eſt luxuriæ ſpecies, ſermo fuit *Tom. IV. in Decal.* In præſentia ſpectatur ut eſt impedimentum & impediens, & dirimens. Raptus dicitur impedimentum impediens, quando homo uxorem ex domo proprii mariti abducit. Raptus iſte non modo impedit matrimonium cum femina rapta inire, ſed & cum quacumque alia. Ad hoc impedimentum contrahendum non ſufficit rapere ſponſam de futuro, ſed requiritur rapina uxoris ſub poteſtate mariti conſtitutæ, & ipſo repugnante. Si enim maritus conſentiat,

tiar, nullum oritur impedimentum. Si vero fœmina in raptum conſentiat, repugnante viro, & raptor, & rapta impedimento ligantur. Quare, mortuo marito, uxor rapta nec cum raptore, nec cum alio inire matrimonium poteſt.

III. Raptus qui eſt impedimentum dirimens, definitur, quod ſit *violenta fœminæ abductio de loco ad locum matrimonii cauſſa*. Duplex violentia: phyſica una qua per vim e domo ſua fœmina trahitur; moralis altera, quæ minis excitat metum cadentem in virum conſtantem. Alterutra ad raptum requiritur. Si enim fœmina a domo paterna, ipſa conſentiente, abducatur, etiamſi dolo, & fraude decepta, non eſt raptus inducens impedimentum: quia tunc non raptus, ſed fuga eſt, cum omnis vis, ſive phyſica, ſive moralis deſit. Nec refert quod fœmina rapta ſit virgo, aut corrupta, ſive bonæ, ſive malæ fidei. Dicitur *de loco in locum*; ideſt, de loco in quo eſt, ad locum in quo ſit ſub poteſtate raptoris, deduci debet. Quare ſi eam de cubiculo in cubiculum, ut eam cognoſcat, deducat, non eſt raptus, ad quem requiritur violenta tranſlatio a poteſtate paterna ad locum in quo ſit ſub poteſtate raptoris, etiamſi nullo modo ab eo cognoſcatur: quia ad raptum non requiritur copula. Dicitur *matrimonii cauſſa*: quia ſi deſit hæc intentio, & ob alium finem rapiatur, puta explendæ libidinis, non eſt proprie raptus. Pœnas conſtitutas adverſus raptorem lege in Trident. *ſeſſ.* XXIV. *cap.* VI. quas pœnas non incurrit raptor, ſi fœminam conſentientem abducat, immo tunc ducere eam poteſt, etiamſi in loco tuto illam non conſtituat: quamvis reparare injuriam irrogatam parentibus, aut tutoribus tenentur. Quoniam Concilium ſpectat libertatem matrimonii, quæ adeſt, dum mulier conſentiens abducitur. Idcirco non jubet Concilium ut, ſi per vim rapta ſit, in domum paternam reſtituatur, ſed ut in loco tuto collocetur, ut libere conſentire, aut diſſentire valeat. Duas pœnas incurrit raptor ante ſententiam judicis, inhabilitatem ad matrimonium, & excommunicationem. Ad alias pœnas ibidem conſtitutas incurrendas ſententia judicis requiritur.

IV. Pœnis a Tridentino conſtitutis ſubjacet raptor, etiamſi abducat fœminam quam de futuro ſibi deſponſaverat. Quoniam etiam tunc cogi ad matrimonium invita poteſt. Similiter ſicuti nullum eſt matrimonium inter raptorem & raptam, ita nulla ſunt ſponſalia. Præfatum decretum non extenditur contra fœminas raptrices virorum, ut communiter Auctores docent.

## CAPUT III.

*De impedimentis impedientibus.*

I. DUplex impedimentorum impedientium genus. Aliud abſque delicto, aliud ex delicto proficiſcitur. Prioris generis ſunt quinque, quæ his verſibus continentur.

*Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriatum,*
*Atque catechiſmus, ſponſalia, jungito votum,*
*Impediunt fieri, permittunt facta teneri.*

II. Poſterioris generis ſunt ſeptem, his aliis verſibus contenta.

*Inceſtus, raptus ſponſatæ, mors mulieris,*
*Suſceptus propriæ prolis, mors presbyteralis,*
*Vel ſi pœniteat ſolemniter, aut Monialem*
*Accipiat: prohibent hæc conjugium ſociandum.*

III. *Eccleſiæ vetitum* ſignificat prohibitionem Superioris, nempe Parochi, Epiſcopi, Pontificis, ne matrimonium celebretur tali tempore ob aliquam juſtam cauſſam, puta ut deprehendatur aliquod impedimentum, ut evitetur tumultus &c. Tranſgreſſio hujus prohibitionis abſolute mortalis eſt.

IV. *Tempus feriatum* juxta Trident. *ſeſſ.* XXIV. *cap.* X. eſt a I. Dominica Adventus incluſive ad Epiphaniam uſque incluſive, & a die Cinerum incluſive ad octavam Paſchatis uſque incluſive. Hoc tamen tempore, jejuniis, & precibus deſtinato, prohibentur ſolemnes nuptiæ. An privata matrimonia ſine ſolemnitate contrahi his temporibus, nulla petita licentia ab Ordinario, poſſint, alii negant, alii affirmant. Conſuetudini propriæ diœceſis hærendum eſt.

V. *Catechiſmus*, ſeu fidei inſtructio inducit impedimentum quod contrahit ille qui pro infante reſpondet, dum ſolemnes cæremoniæ in Eccleſia ſupplentur, quando baptiſma privatum, urgente neceſſitate, adminiſtratum fuit. Sicut enim patrini baptiſmi contrahunt impedimentum dirimens; ita catechiſmi patrini, qui pro infantibus, dum interrogantur, an credant, an renuntient diabolo, ejuſque pompis &c. reſpondent, quamdam cognationem ſpiritualem imperfectam, quæ dicitur impedimentum impediens, contrahunt. Sublatum per Tridentinum volunt plures impedimentum iſtud.

VI. *Sponſalia* etiam cum quacumque perſona legitime contracta matrimonium cum alia impediunt. Verum de his ſupra *diſſert.* II. jam ſatis diximus.

VII. *Votum* ſimplex caſtitatis, non nuben-

di,



di, ſuſcipiendi Ordinis ſacri, Religionis ingrediendæ eſt impedimentum matrimonium impediens: quia tale votum pugnat cum matrimonio. Idque verum habet, etiamſi votum ſit conditionatum. Si votum ſit caſtitatis, peccat nubendo; & nunquam petere debitum poteſt ante diſpenſationem: reddere tamen valet, quia uxor jus habet ad petendum. Si votum ſit non nubendi, peccat contrahendo; ſed poſt contractum licite debitum petere, & reddere poſſe, aiunt Auctores: at, uxore mortua, a nuptiis abſtinere tenetur. Si votum ſit Religionis, implere votum aſtringitur ante conſummationem. Si conſummet, peccat, etiam dum reddit. Semel conſummato, & reddere, & petere tunc illum poſſe aiunt: quia tunc votum, cum evaſerit de re impoſſibili, ſuſpenſum hæret, donec uxor aut moriatur, aut adulteretur, aut conſentiat, ut maritus Religionem profiteatur. Mulier licite contrahere nequit cum viro, aliquo ex his votis ligato.

VIII. *Inceſtus* eſt, cum vir copulam habet cum uxoris ſuæ conſanguineis, vel mulier cum viri ſui conſanguineo; & oritur impedimentum uſque ad ſecundum gradum. Si copula habita ſit cum ſponſæ de futuro conſanguineis, Sanch. cum aliis docet reſtringi impedimentum uſque ad primum gradum.

IX. *De raptu* uxoris impediente quodcumque matrimonium, dictum eſt *cap. anteced.*

X. *Uxoricidium* patratum non animo contrahendi, unde oritur impedimentum dirimens, ſed ob iram, vindictam, aliamve cauſſam, impedit matrimonium cumquacumque perſona, etiamſi uxor deprehenſa in adulterio ſit; ut conſtat ex cap. *Interfectores*, & cap. *Quicumque* XXXII. quæſt. II.

XI. *Suſceptio filiorum* parit impedimentum ratione cognationis ſpiritualis, quod tunc evenit, ſi conjux filios ſuos utriuſque, aut alterius conjugis aut baptizet, aut ex ſacro fonte, vel confirmatione ſuſcipiat, animo negandi debitum conjugale; ut habetur cap. *De eo* III. quæſt. I. Hoc impedimentum matrimonio privat in perpetuum. Si ex neceſſitate filius alterius conjugis baptizetur, nullum contrahitur impedimentum.

XII. *Mors presbyteralis* impedimentum inducit, quando quis occidit Presbyterum: quia, cum ex officio aſſiſtere matrimonio debeat, merito occiſor Presbyteri matrimonio in perpetuum privatur. Ut tamen homicida iſte hoc impedimentum incurrat, in foro externo convictus ſit oportet, ut colligitur ex cap. *Qui Presbyterum* de pœnit. & remiſſ. ut communiter Auctores docent.

XIII. *Pœnitentia ſolemnis publica* inducit impedimentum, quamdiu illa durat, non quod ipſa crimen ſit, ſed quia in vindictam criminis patrati imponitur: cum nuptias celebrare, quæ lætitiam ſecum afferunt, illos non deceat qui luctui & mœſtitiæ operam dant; ut habetur cap. *fin.* XXXIII. q. II.

XIV. *Conjugium cum Moniali* eſt ultimum impedimentum, quod tunc contrahitur, quando quis virginem Deo devotam ſcienter ſibi deſponſare non dubitat: is in perpetuum matrimonio jure privatur, ob injuriam irrogatam divino ſponſo Chriſto; ut ſtatuitur cap. *His ergo* XXVII. quæſt. I.

XV. Qui aliquo ex recenſitis impedimentis ligatus matrimonium contrahit, non privatur jure debiti petendi, niſi in voto caſtitatis, & inceſtu; reddere tamen etiam his ligatus tenetur. In reliquis & petere poteſt, & reddere aſtringitur. Advertunt Auctores, exceptis interdicto, voto, & ſponſalibus, cetera impedimenta obſoleviſſe, præterea in omnibus his impedimentis, præterquam in voto caſtitatis, Religionis, & in ſponſalibus, diſpenſare Epiſcopus valet. Et ad hoc quod attinet, conſuetudini diœceſis hærendum eſt.

## CAPUT IV.

*De poteſtate diſpenſandi in recenſitis impedimentis.*

I. PLura de diſpenſationibus generatim acceptis dicta ſunt Tom. *VI.* quæ videri poſſunt. In præſentia ea tantum explicabimus quæ ab impedimentis narratis ſolutionem ſpectant. Impedimenta juris naturalis & divini nulli ſubjacent diſpenſationi; cujuſmodi ſunt ligamen, impotentia perpetua, & conſanguinitas in primo gradu lineæ rectæ, votum ſolemne approbatæ Religionis, matrimonium ratum. Ab illis ergo impedimentis diſpenſare Eccleſia poteſt quæ jure eccleſiaſtico conſtituta ſunt: quoniam qui legem condit, ab eadem eximere ſubditos valet.

II. Quæſt. I. *Quis facultatem habet diſpenſandi ab impedimentis dirimentibus?* Reſp. Animadvertunt Theologi, agitatam in Tridentino præſentem controverſiam, nec fuiſſe deciſam. Nullo quippe canone, aut lege ajunt reſervatam eſſe ſoli Pontifici ſummo poteſtatem diſpenſandi in impedimentis dirimentibus, excluſis Epiſcopis. Conſuetudo ſoli, & communis Eccleſiarum uſus hanc faculta-

tem

tem ſummis Pontificibus aſſeruit. Galliarum Epiſcopos ab aliquibus impedimentis reipſa diſpenſare, narrant Theologi Galli, Tournelius, Habert, & ceteri, ex prædeceſſorum conſuetudine. Verum ut ut res hæc ſe habeat, communis eſt Theologorum ſententia, uſu & conſuetudine accedente, ſolum Pontificem ſummum ordinario diſpenſare a præfatis impedimentis, excluſis Epiſcopis, & Legatis a latere.

III. Contendunt aliqui, Mendicantes privilegium habere, a Leone X. conceſſum Auguſtinianis, diſpenſandi cum his qui ſcienter aut ignoranter contraxere cum impedimento affinitatis, dummodo notorium non ſit, neque ad forum contentioſum deductum. Verum privilegium illud aut commentitium eſt, aut contrario uſu abrogatum. Salmanticenſes *cap.* XIV. *punct.* 1. *nu.* 5. referunt, Commiſſarium generalem Cruciatæ ex delegatione pontificia diſpenſare poſſe ab impedimento affinitatis ex fornicatione orto reſpectu illorum qui bona fide ex parte unius, præmiſſis proclamationibus, in facie Eccleſiæ contraxerunt, altera parte impedimenti ignara, monita. Facultatem quoque illum habere, ex Caſtropalao, & Coninch ſubdunt, conſtituendi prolem legitimam, etiam mala fide ab utroque procreatam. Si ex parte unius bona fides adſit, iure communi proles evadit legitima. Apoſtolicum quoque Nuntium in ſua ditione poteſtatem habere aiunt diſpenſandi ab impedimento publicæ honeſtatis, & conſtituendi prolem legitimam, ante, & poſt illud ſuſceptam ex tali matrimonio.

IV. Quæſt. II. *An Epiſcopi, urgente neceſſitate, diſpenſare ab aliquo impedimento dirimente ante matrimonium contractum valeant?* Reſp. Communis ſententia affirmat, dummodo neceſſitas ſit urgens & gravis, & aditus ad Pontificem ſummum non pateat, & periculum infamiæ, vel incontinentiæ, vel alterius mali ſit in mora. Finge contractum publice matrimonium, & impedimentum eſſe occultum, & coniuges abſque gravi ſcandalo non poſſe ſeparari, nec eſſe ad Pontificem facilem acceſſum. Tunc aiunt, ſi impedimentum tale ſit, a quo diſpenſare Pontifex ſummus conſueverat, poſſe quoque Epiſcopum. Quis enim dixerit, Pontifices ſummos hanc diſpenſandi facultatem reſervare ſibi voluiſſe cum tanto animarum periculo? Nulla expreſſa lex, nullus canon declarat, Epiſcopos non poſſe in ſua diœceſi ea peragere in his caſibus quæ æternæ ovium ſaluti neceſſaria ſunt. Ex ſola conſuetudine & uſu Pontifices ſummi in eiuſmodi impedimentis diſpenſant. Porro reſervatio hæc bonum commune Eccleſiæ, & animarum ſalutem ſpectat. Ergo ceſſat, dum talis urget neceſſitas, quæ impedit diſpenſationem a Pontifice peti, & aliunde concedi ab Epiſcopo poteſt. Quid quod in lege expreſſa lata a ſuperiore diſpenſare inferior valet, neceſſitate urgente? Ergo multo magis, quando non adeſt expreſſa lex, quæ adimat Epiſcopis talem facultatem. Quid quod nunquam Pontifices ſummi reclamarunt contra Theologorum ſententiam, hanc facultatem Epiſcopis in dictæ neceſſitatis caſu aſſerentem?

V. Quæſt. III. *An Epiſcopi ante matrimonium contractum talem impertiri diſpenſationem poſſint?* Reſp. Affirmant Sanchez *Lib. II. diſp.* XL. *n.* 7. Salas *diſp.* XX. *ſect.* 7. *de leg.* Baſilius Pontius *Lib. IX. cap.* . *num.* 6. Bonacina *n.* 6. Diana *Part.* VIII. *tract.* III. *reſol.* 80. Caſtropalaus *n.* 9. Candidus, Dicaſtillus, Corneo; quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *tract.* IX. *cap.* XIV. *num.* 11. P. Viva *quæſt.* VI. *artic.* 1. *n.* 8. Igitur ſi mors immineret, & matrimonium neceſſarium foret ad prolem legitimam conſtituendam, ad evitandam feminæ infamiam, aut alia gravia mala, ſcandala, abſurda, & difficilis eſſet ad Pontificem ſummum recurſus, poterit Epiſcopus diſpenſationem impertiri ad matrimonium contrahendum. Idem dicendum, ſi femina nobilis, inquiunt Salmanticenſes (ego adderem, etiamſi non nobilis, ſed honeſta) parata ad nuptias, confiteretur ſe habuiſſe copulam cum conſanguineo coniugis in primo, aut in ſecundo gradu, & dilatio matrimonii inferret illi infamiam, aliudve grave malum, quin effugium evadendi pateret. Idque eædem rationes quas mox adduxi, evincunt. Addunt Sanchez, Henriquez, Navarrus, Sylveſter, poſſe Epiſcopum, urgente neceſſitate, in legis Pontificis, & Concilii diſpenſare, & in voto ſimplici caſtitatis reſervato Papæ, quando magnum eſt incontinentiæ periculum. Ratio univerſalis eſt, quod lex quæque eccleſiaſtica ordinata ſit in bonum commune Eccleſiæ, ad caritatem, rectamque Republicæ chriſtianæ gubernationem. Conceſſa eſt enim a Chriſto Domino Eccleſiæ, & Pontificibus ſummis facultas legis condendæ in ædificationem, non in deſtructionem. Eſſet autem in deſtructionem contra caritatem, & contra ſratrem, inquit P. Viva *loc. cit.* Eccleſiæ gubernationem, velle Pontificem reſervare ſibi hanc diſpenſationem cum tanto animarum periculo.

VI.



VI. Duo extrema hac in materia, ſicut & in ceteris, declinanda ſunt: nempe & nimia diſpenſandi facilitas abſque legitima cauſſa; & nimia ſeveritas non diſpenſandi, & coarctandi Epiſcoporum authoritatem, quæ natura ſua ampla eſt, & ſolum in bonum Eccleſiæ a ſummis Pontificibus reſtricta.

VII. Quæſt. IV. *Requiritne ut quod matrimonium contractum ſit bona fide, ut Epiſcopus diſpenſare ab impedimento valeat?* Reſp. Communis ſententia docet, non requiri bonam fidem in utroque coniuge, ſed ſat eſſe quod in alterutro adſit: quia, ſtante bona fide in uno coniuge, matrimonium dicitur bona fide contractum; ut habetur cap. *Cum inhibitio*, de clandeſt. deſponſ. Præterea æquitati repugnat, ut ex culpa unius detrimentum ſubeat innocens. Dicaſtillus, Henriquez, & alii docent, poſſe Epiſcopum diſpenſare, etiamſi mala fides in utroque coniuge præceſſiſſet. Quia licet ex propria culpa in tales ſe coniecerint anguſtias, non propterea denegandum illis eſt remedium neceſſarium, quando ex una parte imminent recenſita pericula, & aditus ad Pontificem non pateat. Probabilior tamen opinio requirit bonam fidem ſaltem in uno coniugum: idque habetur in Tridentino *ſeſſ.* XXIV. *cap.* V. ubi dicitur, indignos eſſe diſpenſatione illos qui mala fide contrahentes Eccleſiæ benignitate abutuntur. Ut vero dicatur mala fide contrahi, ſat non eſt illos ſcire, ſe habuiſſe copulam cum conſanguinea coniugis; ſed requiritur ut ſciant talem copulam inducere impedimentum: ſi enim ſcirent ſe cum conſanguinea contrahere, ignorarent vero conſanguinitatem, vel affinitatem parere impedimentum; tum bona fide contraherent, ut docent Bannez, Sanchez, Navarrus, Candidus, Averſa; quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *num.* 10.

VIII. Quæſt. V. *A quibus impedimentis diſpenſare Epiſcopus valet extra neceſſitatis caſus?* Reſp. Bonacina, Henriquez, Sanchez, Caſtropalaus, & Salmanticenſes *num.* 13. docent, Epiſcopos diſpenſare poſſe in impedimento ſuperveniente matrimonio ob affinitatem, cognationem ſpiritualem, votum ſimplex caſtitatis, ut coniuges ſibi invicem debitum petant, licet nulla ſit neceſſitas urgens; idque conſtare aiunt ex legitima conſuetudine: & hoc etiam poſſe Vicarium Epiſcopi ex vi conceſſionis generalis ad omnes caſus epiſcopales.

IX. Quæſt. VI. *Regulares Mendicantes habent ne facultatem diſpenſandi ab aliquibus impedimentis?* Reſp. Poſſe quoque Regulares vi ſuorum privilegiorum diſpenſare in impedimento ſuperveniente matrimonio ob copulam cum conſanguinea coniugis in primo vel ſecundo gradu, & ob votum ſimplex caſtitatis, ante matrimonium emiſſum, ut poſſint invicem non reddere modo, ſed etiam petere, docent Sanchez, Diana, Pontius, Caſtropalaus, Averſa, Rodriquez, Candidus, & alii, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *tract.* IX. *cap.* XIV. *punct.* 1. *num.* 14. Hæc privilegia conceſſiſſe aiunt Iulium II. Martinum V. Benedictinis Monaſterii Vallifoleti, S. Pium V. vivæ vocis oraculo Minoribus. Aliud privilegium conceſſum Ieſuitis referunt Sanchez, & Palaus. Diſputant vero Auctores illi, an, ut Mendicantes poſſint diſpenſare, debeant a ſuo Provinciali, vel Generali ſpecialem habere licentiam. Affirmant illi, negant illi. Salmanticenſes *n.* 16. docent, non requiri deputationem Provincialis, ſed ſufficere quod deputatio fiat a Superiore conventuali.

X. Hæc quæ de Regularibus circumferuntur, privilegia in hac materia, & narrata interpretamenta mihi prorſus commentitia ſunt, & arbitraria. Mirum eſt quod in tam gravi negotio nemo unus referat eiuſmodi privilegia; ſed aſſertiones dumtaxat Auctorum infarciunt, qui mutuo ſe citant, quin unus documenta citata reſcribat. Quare hæc omnia ut mera figmenta ego reiicio, donec authenticis documentis novi Doctores qui illa comminiſcuntur, legitima evincant. Neque ſuſpiceris, me gratis, & pro arbitrio talia privilegia reiicere. Illa enim ſæpius inquiſivi, Bullarium Pontificum, a quibus conceſſa aſſeruntur, revolvi etiam ab aliis curavi. Nihil penitus inventum eſt. Adhibenda ne fides quibuſdam Caſuiſtis, qui in more habent mutuo ſe ſe reſcribere: & ſimul atque unus aliquod commentum evulgat, plurimi in fide anteceſſorum illud citant: & poſtea ex multitudine Doctorum infertur: tot ne Doctores falſum narrabunt, illudent, decipient, & quidem in re graviſſima? Hac ineptiſſima argutatione plures reipſa decipiuntur. Si ſcire cupis, vera ne an falſa ſint eiuſmodi privilegia, conſule Bullarium. Et ne actum agam, lege quæ ſcripſi *Tom. III. in Decal. diſſ.* III. *cap.* XI. ubi mera figmenta oſtendi eſſe privilegia quæ citati Auctores allegare ſolent in Regularium favorem ad diſpenſandum in votis.

§. V.

## §. V.

*De cauſſis pro valida, & licita diſpenſatione a recenſitis impedimentis.*

I. PLura dixi de diſpenſationis iuſtæ cauſſis tum in Diſciplina Apoſtolico-monaſtica *diſſ.* VI. *c.* III. tum *Tom. III. diſſ.* III. *c.* XIII. & fuſius *Tom. VI.* Pauca hic nunc delibabo. Antiquis temporibus, inquit Chriſtianus Lupus *Tom. III. in notis ad can.* XI. *Concilii Rhemenſis*, raro Eccleſiam diſpenſaſſe. Narrat, Gregorium VI. Gallicanos Epiſcopos, regnumque ipſum interdicto eccleſiaſtico ligaſſe propter matrimonium quod Rex Robertus contraxerat cum Berta commatre ſua, cuius filium ſuſceperat de ſacro fonte. Adeo difficilis & perrarus tunc erat diſpenſationum uſus etiam in impedimentis non adeo gravis momenti, ut Rex ipſe obtinere diſpenſationem non potuerit. Alia ſimilia exempla ibidem profert.

II. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXV. *cap.* XVIII. *de ref.* hæc habet. *Sicut expedit legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, evenientibus caſibus, & neceſſitatibus, pro communi utilitate ſatisfiat; ſic frequentius legem ſolvere, exemploque potius, quam certo perſonarum, rerumque delectu, petentibus indulgere, nihil aliud eſt quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire. Quapropter ſciant univerſi, ſacratiſſimos canones exacte ab omnibus, & quoad eius fieri poterit, indiſtincte obſervandos. Quod ſi urgens iuſtaque ratio, & maior quandoque utilitas poſtulaverit, cum aliquibus diſpenſandum eſſe, id cauſſa cognita, ac ſumma maturitate, atque gratis a quibuſcumque ad quos diſpenſatio pertinebit, erit præſtandum; aliterque facta diſpenſatio ſubreptitia cenſeatur.*

III. Quæſt. I. *Peccent ne Superiores diſpenſantes ſine cauſſa, & an ſit valida eiuſmodi diſpenſatio?* Reſp. Convenit penes omnes, peccare tum concedentes, tum petentes diſpenſationem abſque cauſſa. Diſputant, ſitne mortale, an veniale eiuſmodi peccatum. Doctor eximius P. Suarez *Lib. VI. de leg. cap.* XVIII. *n.* 17. cum aliis docet eſſe mortale. Salmanticenſes *tract.* IX. *cap.* XIV. *punct.* 2. *n.* 17. cum Sanchez, Rodriguez, Viva, & aliis defendunt eſſe veniale. Prior ſententia vera eſt, poſterior falſa. Diſpenſationem ſine cauſſa *crudelem diſſipationem* vocat S. Bernardus. Quis non videt, leges in bonum commune latas pro arbitrio peſſumdare peccatum eſſe mortiferum? Materiæ parvitas excuſare a gravi culpa interdum poteſt.

IV. Ad valorem diſpenſationis quod attinet, communiter Theologi aſſerunt, inferioris diſpenſationem in lege ſuperioris abſque iuſta cauſſa nullam eſſe. Hinc inferunt, Epiſcopum invalide diſpenſare in lege pontificia, puta in lege ieiunii, in votis &c. iuſta cauſſa ſublata: ſimiliter Papam invalide diſpenſare in voto, iuramento, & in quacumque lege divina, aut naturali abſque legitima cauſſa. Quamquam, ſi vere loqui volumus, in his legibus Papa non diſpenſat; ſed ſolum interpretatur, ut ſupremus œconomus & cuſtos legum, in hoc aut illo caſu legem divinam non obligare.

V. Communiter vero docent recentiores, legiſlatorem in lege a ſe lata valide diſpenſare poſſe abſque iuſta cauſſa: quia, inquiunt, in propria cauſſa legiſlator operatur tamquam dominus. Ergo ſicut prodigus, inquit P. Viva *quæſt.* VI. *art.* 2. *num.* 2. valide transfert ſuorum bonorum dominium, tametſi prodigendo peccet: ita legiſlator valide in propria lege diſpenſat, quamvis ſine iuſta cauſſa diſpenſando delinquat. Subdit P. Viva cum P. Suar. *Libr. VI. de leg. cap.* XIX. quod ſi legiſlator ſecum diſpenſet in propria lege abſque legitima cauſſa, invalida ſit diſpenſatio; quamvis in illa ipſa lege valide diſpenſet cum ſubditis. Quænam diſcriminis ratio? Manifeſta eſt, inquiunt. Quoniam ſuperior obſervantiæ legis ſuæ non ſubiicitur vi ſuæ legis; cum nemo imperare ſibi valeat: ſed obſtringitur vi legis naturalis, quatenus ſuperior debet ſe conformare communitati. Ab hac autem lege naturali nequit ſine iuſta cauſſa ſe diſpenſare. Ergo dum ſe obſervationi legis ſuæ abſque iuſta cauſſa ſubducit; invalida exemptio eſt. Contra ſubditi immediate vi legis ſuperiori obligantur. Ergo valide ſuperior eos, legitima etiam cauſſa ſublata, ab obſervantia legis ſuæ eximit.

VI. Hæc recentiorum doctrina mihi non arridet, & diſtinctio diſpenſationis quam legiſlator reſpectu ſui, & ſubditorum exercet, arbitraria & commentitia mihi videtur. Lex quæque in bonum commune lata eſt. Lege naturali & divina legiſlator obſtringitur hoc bonum commune promovere non modo reſpectu ſui, verum etiam reſpectu ſubditorum. Hoc diſcrimen eſt legiſlatores inter & ſubditos, ut *loc. cit.* ex S. Thoma animadverti, quod illi *directive*, iſti *coactive* ſubduntur legi. Ergo qua ratione affirmant recentiores iſti, invalide ſecum, eadem ratione affirmare debent invalide cum ſubditis legiſlatorem diſpenſare in lege propria abſque iuſta cauſſa.

VII. Concilium Tridentinum *ſeſſ.* XXIV. *cap.* V. *de ref.* hæc ſtatuit. *In contrahendis matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro: idque ex cauſſa, & gratis concedatur. In ſecundo gradu numquam diſpenſetur, niſi inter magnos Principes, & ob publicam cauſſam.* Cedo. An non obſtringitur Papa lege naturali & divina, ut Eccleſiæ ſupremum caput, & legiſlator, hanc, & alias omnes ob Eccleſia, & a ſeipſo, ut Superiore ſupremo, latas cuſtodire, promovere, & conſervare? Quis inficias iverit? Ergo, ſublata iuſta cauſſa, irrite diſpenſat: quia diſpenſat contra legem naturalem, & divinam, qua obſtringitur promovere legum obſervationem.

VIII. Quæſt. II. *Quænam ſint cauſſæ iuſte diſpenſandi in impedimentis matrimonii?* Reſp. Plures aſſignant recentiores cauſſas. 1. eſt bonum pacis, ablatio litium, diſcordiarum, ſcandalorum, rixarum. 2. Si in oppido in quo mulier degit, commode non inveniat coniugem parem cui nubat: quia non tenetur aut propriam patriam relinquere, aut impari nubere. 3. Defectus dotis, dum mulier congruam invenire dotem nequit, qua iuxta ſui ſtatus conditionem poſſit in matrimonium coniugi; inveniat autem conſanguineum, qui abſque dote illam recipiat. Quod verum eſt, inquiunt, etiamſi parentes, fratreſve divites habeat, qui nollent, aut nimis differant dotem tradere. 4. Conſervatio divitiarum in eadem familia, & ſucceſſionis, quando peritura eſſet, niſi coniugium fieret inter conſanguineos. 5. Inſtauratio matrimonii bona fide contracti; immo etiamſi mala fides affuerit ex utraque parte, ſi matrimonium ſit conſummatum, & ſcandalum inferret ſeparatio, aut feminæ infamia immineret. 6. Poſtulatio magnorum Principum, quibuſcum nonniſi in ſecundo gradu conſanguinitatis diſpenſandum, Tridentinum ait. Nomine magnorum Principum Reges intelligunt, qui abſolutum habeant dominium. Neque acceptationem perſonarum Eccleſia exercet, dum facilius cum his diſpenſat: quia convenit Eccleſiæ eiuſmodi magnos Principes habere benevolos. 7. Excellentia meritorum erga Eccleſiam, vel petentis, vel eius pro quo petitur. 8. Subminiſtratio pecuniæ in ſubſidium Eccleſiæ.

IX. Quæſt. III. *Sunt ne legitimæ omnes recenſitæ cauſſæ?* Reſp. Iudicium iſtud illis quorum intereſt, remitto. Mihi profecto omnes non probantur. Ultima præſertim mihi diſplicet. Quid? Ob pecuniam relaxare Eccleſiam leges ſuas decet, vel expedit? Reponit P. Viva quæſt. VI. art. 2. num. 4. *Negat tamen Sanchez, quod petens ſine cauſſa diſpenſationes matrimoniales exhibendo copioſam eleemoſynam non peccet, ſicuti nec qui ſine cauſſa aliis petitis utitur. Ratio eſt, quia quamvis ſine cauſſa petantur, non conceduntur tamen ſine cauſſa.* Nonne egregia & robuſta ratio? Utique non conceduntur *propter pecuniam*. Et ſibi pecuniariæ diſpenſationes licitæ erunt? Quæ non muſſitabunt Novatores, talia dum legunt? Tridentinum tria ſtatuit, nempe diſpenſationes 1. *raro*, 2. *ex cauſſa*, 3. *gratis* concedendas eſſe: & benigni recentiores non pauci conceptis verbis oppoſitum docent, pro cauſſa obtrudentes, *ne dentur gratis*, ſed pro copioſa pecuniæ ſubminiſtratione. Numquid legum relaxatio fodina eſt, unde haurire pecunias Superiores debeant?

X. Quæſt. IV. *An ceſſante cauſſa movente ad diſpenſationem, hæc corruat?* Reſp. Omnes docent, neceſſum eſſe cauſſam extare, dum diſpenſatio conceditur. Diſputant vero, num ſi conceſſa diſpenſatione, antequam perficiatur matrimonium, ceſſet cauſſa finalis, ſeu principaliter movens, ceſſet ipſa diſpenſatio. Negant Salmanticenſes *num.* 29. cum pluribus aliis, quos citant. Quoniam, inquiunt, gratia diſpenſationis completur continuo ac conceditur; & aufertur vinculum impedimenti: ergo ſi tunc vera extat cauſſa, diſpenſatio eſt valida, & impedimentum aufertur. Porro, ablato ſemel per veram diſpenſationem impedimento, hoc amplius non reviviſcit, quemadmodum lex, ſemel ob veram cauſſam abrogata, non reſurgit, licet cauſſa ceſſet. Accedit quod diſpenſatio eſt abſoluta, & non conditionata: Ergo, exiſtente tempore expeditionis vera cauſſa, diſpenſatio ſuum obtinet effectum.

XI. Oppoſitam ſententiam docent Sanch. Dicaſtillus, & alii, obiicientes: ſi quis diſpenſationem obtineat comedendi carnes ob debilitatem, & fiat robuſtus, ceſſat diſpenſatio: ergo idem in caſu præſenti. Negant conſequentiam. Quia quando datur diſpenſatio ab iis quæ habent tractum, ut dicitur, ſucceſſivum, ut in ieiunio, carnium comeſtione, & ſimilibus, quaſi multiplex eſt; & tamdiu durat, quamdiu cauſſa perſiſtit. Impedimentum autem individuum eſt, & ſemel ablatum non reviviſcit: ideo diſpar ratio. Quare prior ſententia eſt probabilior.

XII. Quæſt. V. *Quid ſit diſpenſatio ſubreptitia?* Reſp. Diſpenſatio ſubreptitia ea dicitur quæ ex errore, ſeu ob falſitatem ex-

preſſam, aut veritatem occultatam conceditur. Diſpenſationes, ſeu reſcripta pontificia, aliorumque Principum duplicis generis ſunt. Alia *iuſtitiæ*; quæ ad lites dirimendas impertiri ſolent. Alia *gratiæ*; quibus beneficia Eccleſiæ impertiuntur. Reſcripta iuſtitiæ per ſubreptionem obtenta, ipſo iure non ſunt irrita, niſi per exceptionem elidantur: quia his reſcriptis non reſolvuntur lites, ſed modus præſcribitur quo iudex decidere lites poſſit: & contra hæc reſcripta pars opponit ad detegendum errorem. Reſcripta gratiæ ſubreptitia, aut obreptitia ipſo facto nulla ſunt, & irrita.

XIII. Cauſſa concedendæ diſpenſationis duplex: alia finalis, ſine qua reſcriptum nullo modo conceditur, aut nonniſi limitationibus, & conditionibus coarctatum; alia impulſiva, quæ allicit quidam Superiorem ad facilius impertiendam gratiam, illa tamen ſublata, nihilominus abſolute eamdem concederet.

XIV. Quæſt. VI. *Quæ veritatis occultatio, & falſitatis expoſitio reddat diſpenſationem ſubreptitiam?* Reſp. Quælibet omiſſio veritatis, quæ iure, ſtilo, aut conſuetudine exprimi debet, aut allegatio falſitatis, quæ ſupprimi iure deberet, aut pertineat ad cauſſam finalem, reſcriptum ſubreptitium reddit; ſecus, ſi error attineat ad cauſſam impulſivam tantum, & allicientem. Ratio ſeipſa patet. Nam quando ius, aut conſuetudo, aut ſtilus aliquid exprimendum iubet, illud requirit tamquam formam, ſeu cauſſam præſcriptam, a qua gratia concedenda pendet. Ergo hac ſublata reſcriptum nullum eſt. Similiter diſpenſatio pendet a cauſſa finali movente: qua ceſſante, ceſſat gratiæ conceſſio. Tandem ſi error pertineat ſolum ad cauſſam impulſivam, ſeu allicientem, tunc reſcriptum valet: quia ſine hac cauſſa concederetur. Exemplum communiter Auctores ſubiiciunt eleemoſynæ factæ pauperi improbo. Paupertas eſt cauſſa finalis, quæ movet divitem ad erogandam ſtipem; improbitas, aut probitas ſunt cauſſæ allicientes, vel retardantes eleemoſynam. Si paupertas deficeret, reſtituenda eleemoſyna eſſet ex defectu cauſſæ finalis: ſi hæc adſit, licet pauper ſit improbus, valida tamen eſt eleemoſynæ traditio.

XV. Quando in diſpenſationis petitione plures cauſſæ exponuntur, ſi nulla ex ſe ſufficiens ſit, ſubreptitia eſt diſpenſatio: nec ſat eſt ut ex omnibus partim veris, partim falſis una confletur cauſſa ſufficiens, ſi quælibet ex ſe inſufficiens ſit. Quando vero quælibet ſeorſim ſufficiens ſit, licet aliqua falſa foret, non propterea ſubreptitium reſcriptum reputatur. Quando dubitatio occurrit, an cauſſa falſo expoſita, ſit tantum impellens & alliciens, an finalis & movens, atque adeo an diſpenſatio ſit valida; Salmanticenſes *n.* 37. cum Sanch. Palao, & aliis validam præſumendam aſſerunt: quia, inquiunt, ſemper præſumptio ſtare in favorem actus debet. Sed hanc opinionem ut falſam reiicio. Impedimentum enim certum eſt, & diſpenſatio dubia. Dubium autem elidere certum nequit.

XVI. Diſputant Auctores, an neceſſe ſit ut ille ipſe qui indiget diſpenſatione, illam petat. Et communiter negant, ſed ſat eſſe ut pater, ut conſanguineus, eo inſcio pro quo petitur, diſpenſationem impetret: non prodeſt tamen diſpenſatio, niſi ab illo qui ea indiget, acceptetur. Addunt, ſi impedimentum idem utrumque coniugem afficiat, ſat eſſe petere pro uno. Si vero ambo habeant duo impedimenta, quorum unum non pendet ab altero, ut ſi uterque votum caſtitatis emiſiſſet; tum uterque petere diſpenſationem debet. Si occultatio veri, aut expreſſio falſi ſit dumtaxat circa partem petitionis, ſi diſpenſatio eſt dividua, valet pro ea parte quæ eſt vera; & irrita eſt pro parte quæ eſt falſa. Quis ligatus caſtitatis voto petit diſpenſationem, & quia gravi tentatione pulſatur, & ut nubat conſanguineæ, quæ nequit alterum reperire maritum. Si prima cauſſa vera ſit, liber a voto manet, & ducere uxorem poteſt, ſi altera cauſſa falſa ſit, nequit nubere conſanguineæ. Si mala fide proceſſit, tota diſpenſatio nulla eſt.

XVII. Quæſt. VII. *Quando petitur diſpenſatio inter conſanguineos, vel affines, exprimenda ne eſt copula inceſtuoſa inter eos habita?* Reſp. Diſputant in utramque partem ſuper hac quæſtione Auctores. Pontius, Henriquez, Hurtado, Perez, & alii, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *n.* 40. quibus accedit P. Viva *quæſt.* VI. *art.* 3. *num.* 8 negantem opinionem defendunt: quia neque inceſtus indiget diſpenſatione, cum non ſit impedimentum; neque ius, aut ſtilus præſcribit ut hæc copula manifeſtetur.

XVIII. Contra Sanch. Diana, Caſtropalaus, Laymanus, Coninch, Filliucius, & alii defendunt, manifeſtandam eſſe; & ita declaraſſe Congregationem Cardinalium teſtantur; idque ex ſtilo Curiæ haberi. Deinde manifeſtatio iſtius copulæ inceſtuoſæ difficiliorem reddere videtur diſpenſationis aſſecutionem. Quando enim copula hæc manifeſtatur,



tur, aut maior pecuniæ ſumma imponitur, aut ſeverior pœnitentia. Reſpondent prioris ſententiæ patroni, ſtilum Curiæ non obligare extra Curiam, niſi aliquo pontificio decreto confirmatus ſit. Alii reſpondent, Congregationem Cardinalium declaraſſe exprimendam eſſe copulam ut quid ſecurius & tutius, non ut quid probabilius. Sed hæc mera figmenta probabiliſtica ſunt, atque adeo reiicienda: quare poſterior ſententia probabilior eſt.

XIX. Salmanticenſes *tract.* IX. *cap.* XIV. „*punct.* 3. *nu.* 41. Ex quo inferunt fere omnes Doctores noſtræ ſententiæ, & inferri ex illa teſtantur Sanch. *Lib. VIII. diſp.* XXV. a *n.* 12. & Palaus loco proxime citato, quod ſi talis diſpenſatio remittatur Epiſcopo, & ille, antequam expediat eam, interroget contrahentes, an copula inter eos inceſtuoſa ſit habita, *poſſunt ipſi negare, etiamſi præſtito iuramento interroget*: quia talis interrogatio eſt ſuperflua, & iuridice in tali re non interrogat: & ſic non tenentur iuxta illam reſpondere, ſed aſſerere non fuiſſe inter eos copulam; & ne veritati contraveniant, in mente retinere poſſunt, *ne tibi dicamus*. Immo etiamſi in reſcripto Pontificis veniat illa clauſula: *Niſi copula inter eos fuerit habita*: quia intelligitur de publica, non de ſecreta."

XX. Hæc opinandi ratio tribunal erigit ſupra Epiſcopos, & Pontifices ſummos vel in ipſis ſacramentorum cauſſis. Epiſcopi, ac Pontifices iubent, & ſacratiſſimo iuriurando adigunt ut copula manifeſtetur: denuntiant ſe diſpenſationem, ad valorem ſacramenti neceſſariam, nolle concedere, niſi hæc copula manifeſtetur. Et citati Doctores noſtræ ſententiæ, inquiunt Salmanticenſes, propugnant te poſſe Epiſcopo ex tribunali interroganti negare talis copulæ factum, & hanc negationem iuramento confirmare. Ecur? Quia iuridice non interrogat. Quis definivit Epiſcopum iuridice non interrogare? Doctores citati pro noſtra ſententia? At alii Doctores affirmant Epiſcopum iuridice interrogare. *Et idem utraque ſententia*, inquiunt Salmanticenſes, *eſt ſatis probabilis*. Ergo ipſorum Doctorum ore ſatis probabile eſt hunc iuratorem eſſe periurum, & quidem in publico tribunali, & in cauſſa ſacramentaria. En in quæ monſtroſa laxitatis extrema conicit nova opinandi ratio, a ſimplicitate evangelica aliena. Nec diutius immorandum eſt in refellendo commento ſane horridulo.

XXI. Quid, ſi copula inter conſanguineos habita, eo animo patrata ſit ex parte utriuſque, ut facilius obtineatur diſpenſatio? Reſpondent præfati Doctores, manifeſtandam eſſe, ſi copula, & infamia inde manans producatur ut cauſſa princeps ad diſpenſationem obtinendam. Duo tamen addunt. Primum, ſi intentio hæc fuit ſola mente concepta, non eſt manifeſtanda. Alterum, ſi copula non allegetur ut cauſſa principalis, ſed ſint aliæ cauſſæ ſufficientes pro impertienda diſpenſatione; tunc & copulam, & malam fidem retineri poſſe affirmant. Sed hæc omnia arbitraria & vana ſunt, quæ ſeipſis evaneſcunt.

XXII. Quæſt. VIII. *An diſpenſatio ſit ſubreptitia, quando non manifeſtantur omnia impedimenta?* Reſp. Convenit penes omnes ſubreptitiam eſſe diſpenſationem, niſi manifeſtentur omnia impedimenta quæ obſtant matrimonio, & quibus ligantur contrahentes. Nec fas eſt declarare præcipuum. Quare ſi contrahentes habeant impedimenta affinitatis, conſanguinitatis, criminis, adulterii cum promiſſione, voti &c. omnia, quibus ligantur, patefacienda ſunt. In impedimento conſanguinitatis, & affinitatis exprimi debent gradus lineæ rectæ, vel transverſæ. Quo enim propinquiores ſunt gradus, eo difficilior eſt diſpenſatio. Si ex ignorantia exprimatur ſecundus loco tertii, diſpenſatio obtenta valet: quia tertius continetur in ſecundo: & ſi diſpenſatio pro ſecundo gradu data eſt, eo magis pro tertio. Quando autem gradus ſunt inæquales in linea transverſa, ut ſi unus ſponſorum in tertio, alter in quarto diſtet a ſtipite, diſputatur, an ſatis ſit ut remotior manifeſtetur. Si unus ſit primo, alter in ſecundo gradu, dubio procul exprimendus eſt primus; ut S. Pius V. in ſuo motu proprio, cuius initium eſt *Sanctiſſimus*, dato an. 1566. declaravit. In reliquis autem gradibus, ut dictum eſt ſupra, tot gradibus duo diſtant inter ſe, quot remotior diſtat a ſtipite. Ambo tamen gradus in diſpenſatione obtinenda declarari ſolent.

XXIII. Quæſt. IX. *Si quis ſuper eodem impedimento bis diſpenſationem obtinerat, tenetur ne manifeſtare priorem?* Reſp. Titius obtinuit diſpenſationem, ut contraheret cum Nævia conſanguinea ſua: hac mortua, contrahere vult cum Berta altera conſanguinea. Reſpondent communiter, non eſſe neceſſariam prioris diſpenſationis mentionem, quando impedimentum eſt eiuſdem rationis, non ortum ex crimine, ſed ex conſanguinitate, vel affinitate; vel ſit diverſæ rationis, ut ſi prius

veri diſpenſationem obtinuit, & poſtea petat diſpenſationem ab impedimento conſanguinitatis: quia talis manifeſtatio non reddit diſpenſationem difficiliorem. Contra ſi impedimentum ortum ex crimine ſit aut uxoricidii, aut adulterii cum ſponſione matrimonii, tum ſi ſecunda diſpenſatio obtinenda ſit, prioris mentio facienda eſt; quod ex repetito ſcelere difficilior reddatur diſpenſatio ſecunda. Si quis vero diſpenſationem quam alicuius impedimenti petiit, non obtinuerit, haud requiritur ut, ſi novam impetrare ſtudeat ſive ab eodem, ſive ab altero Pontifice, prioris mentionem faciat; ut docent Sanchez, Suarez, Pontius, Palaus, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *num. 48.* Qui vero plura habet impedimenta eiuſdem rationis, ut ſi quis velit ducere Bertam ex duplici capite conſanguineam; vel quacum duplicem habet affinitatem, quia cum duabus eiuſdem ſororibus eſt fornicatus; vel duplicem cognationem ſpiritualem, quia duos illius filios ex ſacro lavacro ſuſcepit, vel unum ex ſacro fonte, alterum ex confirmatione; aliqui contendunt ſat eſſe unum exprimere impedimentum in gradu propinquiori. Sed probabilior & vera ſententia docet, exprimendam eſſe conſanguinitatem, affinitatem, vel cognationem duplicatam, ex diverſo capite proficiſcentem. Diſputant quoque, num qui pluribus impedimentis ligatus eſt, debeat omnia ſimul exponere; an vero ſufficiat ut unum in una, aliud in altera petitione exponat, nulla facta in petitione diſpenſationis unius mentione alterius. Probabilior ſententia docet, debere omnia ſimul exponi; idque ex Curiæ praxi, & conſuetudine. Impedimentum enim cum altero coniunctum difficiliorem reddit diſpenſationem.

# DISSERTATIO IV.

## DE OBLIGATIONE, ET PECCATIS SPONSORUM ET CONIUGUM.

### CAPUT I.

*De fine ſponſalium, obligatione, & peccatis ſponſorum.*

I. QUæſt. I. *Quis ſit ſponſalium finis?* Reſp. Ideo ab Eccleſia inſtituta ſponſalia ſunt, ut fideles ad magnum matrimonii ſacramentum virtutibus, & ſanctimonia ornati accedant. Sunt enim ad hoc ſacramentum ſponſalia, quod catechumenatus ad baptiſmum, tonſura clericalis ad Ordines, novitiatus Religioſorum ad ſolemnem monaſticam profeſſionem; ut in *ſupp. qu. xliii. art. 1. ad 6.* docet Angelicus, inquiens: *A prima ſponſione dicuntur ſponſalia proprie, quæ ſunt quædam ſacramentalia, ſicut exorciſmus baptiſmi.* Præcipue ad hæc tria ſacramenta rite ſuſcipienda Eccleſia virtutum exercitio diſponendos præparandoſque fideles ſtatuit: quia in horum ſuſceptione novum vitæ genus amplectuntur, novumque ſtatum profitentur. Quomodo autem novi ſtatus onera, officia, munia, ut decet, & expedit tum familiis, tum Reipublicæ, nedum privatæ felicitati, ſuſtinebunt, niſi optime morati, imbuti, probatique ad illum accedant? Quemadmodum igitur qui Religionem monaſticam profeſſuri ſunt, ſub expertæ ſti magiſtri cura & vigilantia conſtituuntur candidati, ut quæ profiteri debent, apprime perdiſcant; ita ſponſi ſub proprii Parochi magiſterio tyrocinium ſtatus coniugalis exercere debent, ut ad tantum ſacramentum celebrandum ſe ſe præparent, atque ad ea quæ hinc conſequuntur, munera ſuſtinenda bene affecti diſponantur.

II. Quæſt. II. *Quæ ſint Parochorum munia in ſponſorum inſtructione?* Reſp. Primum omnium inſtruere iuvenes, & puellas Parochus debet, ne ſponſalia temulenter & repente contrahant, neque in tabernis, locisve profanis, non poſt compotationes, ludrica ſpectacula, choreas: ſed præmittant ſerias conſiderationes, & coram teſtibus, præſertim parentibus, ſingularis pietatis affectu præparati ad ritum hunc ſacramentalem celebrandum accedant. Sponſorum in chriſtiana religione peritiam Parochus exploret, utrum ea calleant quæ ut Chriſtiani ignorare ſine peccato nequeunt. Præter vero ea quæ Chriſtianos ſcire convenit, in iis erudiantur oportet quæ ſtatum coniugalem ſpectant. Monendi graviter ſunt ne ſub eodem tecto habitent, ne mutuus & flagrans amor ex nimia propinquitate & familiaritate erumpat in flammas impuras.

III.



III. Eos inſtruat ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine ſponſalia, & matrimonia celebrari conſueviſſe per fidelium preces, & Eccleſiæ benedictionem, ut moleſtam carnis tribulationem, quæ ſociare matrimonia ſolet, perferre chriſtiana fortitudine maritati queant. Tertullianus *Lib. II. ad uxor. cap. viii.* hæc docet. *Unde ſufficiamus ad enarrandum felicitatem eius matrimonii quod Eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignat benedictio, Angeli renunciant, Pater ratum habet? Nam nec in terris filii ſine conſenſu patrum recte & iure nubunt.*

IV. Ut veram Chriſtianorum matrimonii imaginem imprimere ſponſorum animis Parochus valeat, illis primum ſerio meditandum proponat increatæ Sapientiæ ordinem, quo Deus propagare animas illas voluit quæ damnatorum ſpirituum ſedes occupaturæ ſunt. Propagationem hanc carnalem ſimul & ſpiritualem, ſeu divina gratia fecundatam eſſe voluit. Hinc eſt quod perſonæ huic generationi deſtinatæ primum ſponſalia, quæ ſunt quidam ſacramentalis ritus, inquit S. Thomas, contrahunt, & peracto chriſtianarum virtutum tyrocinio, magnum matrimonii ſacramentum ſuſcipiant, quo illorum animæ Redemptoris gratia ſanctificantur ad ſobolem procreandam. Felicia, ait Tertullianus, matrimonia quæ Eccleſia conciliat, ſeu quæ fiunt in ſpiritu Eccleſiæ, & propter fines a Deo præfinitos. Subdit Tertullianus, matrimonia oblatione confirmari, cum nempe ab Eccleſiæ præpoſitis celebrata inter Miſſarum ſolemnia, & communes fidelium preces cæleſti benedictione ſignantur ſponſi. Quemadmodum ad cetera ſacramenta rite ſuſcipienda præcedunt ſacramentalia, ut aqua luſtralis, eulogiæ, & interiores animi virtutes; ſic ſponſalia ſunt, ut ex S. Thoma & Tertulliano vidimus, quædam ſacramentalia, quibus matrimonii candidati obſignati, in eis præſertim exercere ſe virtutibus debent quæ ad fœdus coniugale integrum intaminatumque cuſtodiendum ducunt. Et eo maior ac diligentior ſit ſponſorum præparatio oportet, quo non ſibi tantum, ſed aliis quoque inſervire ſponſi debent. Sunt quippe coniugati perſonæ publicæ, ad propagandam conſervandamque chriſtianam Rempublicam, Dei populum multiplicandum, & paradiſum implendum cæleſte. Hoc & ſponſalia, & matrimonia divina inſtitutione ſpectant.

V. Virgo, contractis ſponſalibus, velanda eſt, inquit Tertullianus, ideſt hominum, & præſertim ſponſi oculis, colloquiis, & familiaritati ſe ſubducere debet, ne virginitatis dos ſordes contrahat, & reciproca libidine divinam maledictionem loco cæleſtis benedictionis ſibi concilient. Caſte, modeſte, & pudice ſe gerant deſponſatæ, ut amorem, non carnalem, ſed divinum in ſponſis ſuis accendant. *Deſponſata quidem habebit exemplum* (inquit Tertullianus Lib. de veland. virg. cap. xi.) *Rebeccæ, quæ cum ad ſponſum ignotum adhuc ignota perduceretur, ſimul ipſum cognovit eſſe quem de longinquo proſpexerat, non ſuſtinuit dexteræ collactationem, nec oſculi congreſſionem, nec ſalutationis communicationem; ſed confeſſa, quod ſenſerat, ideſt ſpiritu nuptam, negavit virginem velata.* Ibidem: *O mulierem iam de Chriſti diſciplina! Oſtendit enim etiam nuptias de aſpectu, & animo fieri, quemadmodum ſtuprum.* Quid quod non Rebeccæ modo, verum etiam ethnicarum ſponſarum exemplum chriſtianis ſponſis opponit Tertullianus? Exterioris apparatus vanitatem, & nuptiarum mulierum pompas carpit. Exprobrat chriſtianis ſponſis vel ipſa naturæ iura proſcindere, & pudorem ipſum a natura inſitum, quemque ethnicæ ſponſæ cuſtodiunt, a Chriſtianis dedecorari. *At quia etiam* (pergit ibi Tertullianus) *apud Ethnicos velatæ ad virum ducuntur .... A nobis nec naturalia ſervantur, quaſi alius ſit Deus naturæ quam noſter.* Et rurſus *cap. xii.* clamat contra ſponſarum exquiſitiorem cultum, ſuperſtitioſumque ornatum. *Vertunt capillum, & acu laſciviore comam ſibi inferunt, crinibus a fronte diviſis apertam profeſſæ mulieritatem. Iam & conſilium formæ a ſpeculo petunt, & faciem moroſiore lavacro macerant, forſitan & aliquo eam medicamine interpolant, pallium extrinſecus iactant, calceum ſtipant multiformem .... Quid ſingula perſequar? Sola autem manifeſta paratura totam circumferunt mulieritatem.* Seceſſionem ab hominum conſortio deſponſatis virginibus præſcribit *ibidem cap.* xiv. & xv. Tertullianus. Profligati pudoris monſtroſos abortus exponit, & mala quæ ſtudium placendi hominibus parit, ſigillatim deſcribit. *Ipſa concupiſcentia non latendi non eſt pudica: patitur aliquid quod virginis non ſit, ſtudium placendi utique viris. Quantum velis bona mente conetur, neceſſe eſt publicatione ſui periclitetur, dum percutitur oculis incertis, & multis, dum digitis demonſtrantium titillatur, dum nimium amatur, dum inter amplexus, & oſcula aſſidua concaleſcit. Sic frons duratur, ſic pudor teritur, ſic ſolvitur, ſic diſcitur aliter iam placere deſiderare. Sed enim vera, & tota, & pura*



vir-